



Og. 56.



5

DISSERTATIO  
*Historico-Theologica*  
DE  
SYMBOLO APO-  
STOLICO.

*Quam*

Sub auspiciis

DUCIS & CONSUMMATORIS FIDEI UNICI,

*Placido Examini subicit*

JOH. HENRICUS HEIDEG-  
GERUS, SS. Theol.D. & Professor.

*Respondente*

CASPARO HUBERO. V. D. M.

*Assumente*

FELICE HERRLIBERGERO,  
SS. Theol. Studiofo.

*Postridie Synodi Maji, H. L. Q. S.*

---

TIGURI.  
Typis Davidis Gessneri.  
M. DC. LXXIX.

D. K. S. 1741

STAMMBOCH DER

STOLICO

DER STOLICO

JOH. HEINRICH HEIDIG

WASANO HUNDOLOM

HEIDIG HEIDIG

HEIDIG HEIDIG

HEIDIG HEIDIG

HEIDIG HEIDIG





I. **D**uo fere genera sunt scriptorum, quibus Ecclesia Christi militans ad fidem ac salutem æternam proficit & ædificatur. Prius est eorum, quæ ἀμέσως *immediate* divina sunt, à Spiritu S. quoad res & verba inspirata, ἀντίστοιχα, & autoritate eminentissima prædita, τὸ ἱερεὶ γαρμμάτα, *sacra litera, quæ sapientes reddere possunt ad salutem per fidem in Jesu Christo* 2. Tim. III. 15. Posterius eorum est, quæ à viris Ecclesiasticis exarata, & ab Ecclesia in sacrum usum adoptata, Ecclesiasticam humanamque adeò autoritatem obtinent. Inter ea facile excellent Symbola Ecclesiæ Catholicæ tum Orientalis, tum Occidentalis, Apostolicum imprimis, Athanasianum & Nicenum, seu Niceno-Constantinopolitanum. Licet enim apud omnes Orientis & Occidentis Ecclesias veras *unus Dominus, una fides, unumque baptisma* nunquam non obtinuerit, eam tamen diversis verbis eundem in rei summa sensum recipientibus exprimi nihil prohibuit. Nos igitur de Symbolis hisce, utpote in Occidentalium Sacris præcipuis, ordine acturi, in præsentiarum *Symbolum Apostolicum*, post sacras literas autoritatis summæ, cæterisque augustius, explicatum paucis reddere σὺν θεῷ constituimus.

Scriptorum salutarium duo genera, immediate Divina & Ecclesiastica.

Inter quæ Symbola, Apostolicum imprimis, eminent.

II. *Symbolum collationem* notare, veteres & recentiores multum crediderunt. nulla autoritate idonea freti. Neque enim Græcis σύμβολον *Symbolum*, sed συμβολή *symbola* est *collatio* ad convivium, seu *cæna collatitia*: unde partes ad convivium collatæ συμβολαὶ & convivium huiusmodi δείπνον ἀπὸ συμβολῶν *convivium ex collatis* scilicet *partibus* dictum. uti eruditè Doctiss. Calaubonus *Animadvers.* ad Athenæum *lib. III. 31.* ostendit. Ineptius etiam Author Glossarum in Decretalem Innocentii *de Summa Trinitate & fide*, & post eum Durandus *lib. IV. 25.* aliique, hybridum formantes vocem, *Symbolum* ex σὺν *simul* & βολος *conflatum* esse, eò quòd ad *Symbolum Apostolicum* tanquam spirituale epulum, singuli Apostoli *bolus* contulerint, nugati sunt. Haud dubiè autem σύμβολον Græcis σημεῖον *signum* seu *indicium* est, uti etiam Isidorus, Hesychius & Suidas observant; & ejusmodi quidem signum, quo vel milites ab hostibus dignoscuntur, vel in pactis conventisque tabellarum ac syn-

symboli onomatologia.



grapharum loco utuntur, quod *tesseram*, nos vocare solemus. Sed & Græcos æquè ac Latinos veteres σύμβολον vocasse *annulum*, vel quidvis aliud *arrha* loco solitum dari ei sodalium, qui coenam parare jubebatur, idem qui supra, eodémque loco Casaubonus animadvertit. Professionem igitur fidei suæ Ecclesia σύμβολον *symbolum* vocavit, quia ea veluti tessera & signo militari omnes illi, qui Christo Sacramento dixerunt, à desertoribus, iisque, qui sermonem veritatis cauponari, vel adulterina dogmata serere sustinerent, nullo negotio discerni valeant. Quam notionem etiam Rufinus, aliam licet ipse secutus, non ignoravit. Sic enim ille in expositione Symboli pag. 543. *Indicium autem vel signum iccirco* (Symbolum Apostolicum) *dicitur, quia illo tempore multi ex circumcisis Judæis simula-* *bant, se esse Apostolos Christi &c. Iccirco istud indicium posuere, per* *quod agnosceretur is, qui Christum verè secundum Apostolicas regulas* *predicarent. Denique & in bellis civilibus hoc observari ferunt: quo-* *niam & armorum habitus par, & sonus vocis idem, & mos unus est, at-* *que eadem instituta bellandi, ne qua subreptio fiat, Symbola discreta* *unusquisque dux suis militibus tradit, quæ Latinè vel signa vel indicia* *vocantur; ut, si fortè occurreret quis, de quo dubitetur, interrogatus* *Symbolum prodat, si sit hostis, an socius. A contractuum etiam tes-* *sera nomen id accepisse, quia Symbolum est tessera pacti, quod* *in Baptismo cum Deo inimus, quibusdam olim visum esse, ex* *Petro Chrysologo Celeb. Gerh. Joh. Vossius de tribus Symbolis* *Diss. I. 20. comprobat. ubi etiam Doctiss. Parkeri sententiam, quòd* *primitus ablutio sacra in Baptismo Symboli nomine venerit; postea* *autem & serò quidem regula fidei seu confessionis idem nomen hæ-* *serit, ad partes eruditè vocavit.*

Symbolum  
Apostoli-  
cum gemi-  
num di-  
stinguitur:  
primum,

III. Duplex autem est Symbolum Apostolicum, primum, & à primo ortum. *Illud* autoritate Divinum, usu antiquissimum, & verbis brevissimum, cum ipsa Baptismi institutione receptum, & cum Baptismi administratione ex instituto ipsius Christi conjunctissimum, quod habetur Matth. XXVIII. 19. Πορευθέντες μαθητεύσατε πάντα τὰ ἔθνη, βαπτίζοντες αὐτοὺς εἰς τὸ ὄνομα Ἰ Πατρὸς, καὶ Ἰ υἱοῦ, καὶ Ἰ ἁγίου πνεύματος &c. *Profecti docete omnes gentes, baptizantes eos in nomen Patris, Filii & Spiritus Sancti.* De quo Symbolo loqui S. Patres vetustissimos, qui illud nominibus augustissimis, cujusmodi sunt, quòd sit *regula fidei & veritatis, ἰσότης πίστεως, ὄρασις πίστεως, summa fidei, corpus fidei, apex & fundamentum, Evangelicæ fidei Sacramen-* *par. I.*

zum, forma fidei, celeste praescriptum, prima & sola Evangelica fidei in Baptismo confessa, ratio fidei, mysterium religionis, idioma fidei, character Ecclesiae, norma sancta fidei, exornant, Viri longè doctissimi, Parkerus lib. 4 de descensu ad inferos, & Gisb. Voëtius Disput. Theol. par. 1. p. 65. &c. censent, & inductis testimoniis pluribus comprobant. De hoc autem Symbolo heic agere instituti nostri non est.

IV. Hoc, seu à primo ortum, vulgò Apostolicum dictum, ex priori illo, veluti canone & fundamento cufum, ejusque Commentarius quidam, auctariis etiam nonnullis locupleratum, est *Symbolum Apostolicum* prolixius, communiter hodie ita dictum, quòd initio brevius, mox auctius, in hanc denique, quæ hodie extat, verborum formam excrevit. Sic autem illud, prout jam olim in Ecclesia Romana lectum, ex *Psalterio Græco Papæ Gregorii*, uti titulus præfert (scriptura enim Gregorii avo posterior) in Benedictini apud Cantabrigienses Collegii Bibliotheca recondito, Usserius Armachanus ὁ πᾶν de Symbolis pag. 9. exhibet, αὐτολεξεί ἰonar:

*Credo in Deum Patrem omnipotentem, Creatorem cæli & terra. Et in Jesum Christum, filium unicum, Dominum nostrum. Qui conceptus est de Spiritu Sancto, natus ex Maria Virgine, Passus sub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus & sepultus. Descendit ad inferna. Tertia die resurrexit à mortuis. Ascendit ad cælos, sedet ad dexteram DEI Patris omnipotentis. Unde venturus judicare vivos & mortuos. Credo in Spiritum Sanctum, Sanctam Ecclesiam Catholicam. Sanctorum Communionem. Remissionem peccatorum. Carnis resurrectionem. Vitam æternam. Amen.*

Πιστεύω εἰς Θεὸν πατέρα παντοκράτορα, ποιητὴν ὁρατῆς καὶ ἄορατης, καὶ Ἰησοῦν Χριστὸν υἱὸν αὐτοῦ τὸν μονογενῆ, τὸν κύριον ἡμῶν. Τὸν συληφθέντα ἐκ πνεύματος ἁγίου, γεννηθέντα ἐκ Μαρίας τῆς παρθένου. Παθόντα ὑπὲρ ἡμῶν Πιλάτου, σταυρωθέντα, θανόντα καὶ ταφέντα. Κατελθόντα εἰς τὰ κατώτατα. Τῆς τρίτης ἡμέρας ἀναστάντα ὑπὸ τῶν νεκρῶν. Ἀνελθόντα εἰς τὴν ἄνω, καὶ κάθιστον ἐκ δεξιᾶς τοῦ πατρὸς παντοκράτορος. Ἐκείθεν ἐρχόμενον κρῖναι ζῶντας καὶ νεκρούς. Πιστεύω εἰς τὸ πνεῦμα ἅγιον. Ἁγίαν Καθολικὴν ἐκκλησίαν. Ἁγίων κοινωνίαν. Ἀφεσὶν ἁμαρτιῶν. Σαρρῶς ἀνάστασιν. Ζωὴν αἰώνιον. Ἀμήν.

Amen. Ubi Latinus Contextus oratio & fons, Græcus verò fontis translatio est.

V. Universa porro de Symbolo hocce tractatio ejus definitione & definitionis explicatione absolvitur. Sic autem illud definimus, simulque naturam ejus συνληφθῆναι exponimus; *Symbolum*

Et à primo ortum, vulgò Apostolicum.

Latine & Græcè ex Psalterio Græco Papæ Gregorii recitatum.

Symboli posterioris definitio.

*Apostolicum est fidei Christiana à Christo instituta & ab Apostolis ore & scripto tradita complexio brevis, à viris DEI concinnata, & ab Ecclesia adoptata, principales de S. Trinitate, Filio in primis Salvatore incarnato, Spiritu S. & Ecclesia, præci quilibet beneficiis à Christo ei morte sua acquisitis, sententias confessionis, quæ ore fit, formam continens, ut post sacras scripturas sit perenne & intemeratum hominis Christiani fidelis signum, indicium, & tessera, quæ Christo Domino suo uni solique obstrictum & munitus, & ipse in fide salvifica se ipsum indices confirmare, & ab erroribus noxiis sive jam profeminatis, sive imposteriorum profeminandis religiosè custodire, denique confessionis suæ pietate & sinceritate DEI gloriam, Ecclesia suamque salutem promovere possit. Quam definitionem à veteribus explicare nunc annitimur.*

Fidei Christiana à Christo & Apostolis tradita brevis comprehensio est.

VI. Fidei Christianæ à Christo institutæ, & ab Apostolis ore & scripto traditæ complexionem brevem Symbolum vocamus meritò. Etenim si, finitore ipso Christo, *hæc vita æterna est, ut cognoscant, Patrem illum solum verum DEUM & quem misit Jesum Christum, Joh. VII. 3.* utique notitiam solius veri DEI Patris & ab ipso missi Filii Jesu Christi Symbolum tradidit. Quòd si etiam S. Paulus non aliud scire iudicatum habuit, *ἐὶ μὴ Ἰησοῦν Χριστὸν, καὶ τῆτον ἐσταυρωμένον, quàm Jesum Christum, eumque crucifixum, 1. Cor. II. 2.* neque ille etiam in alio sibi gloriandum duxit, *quàm in cruce Domini nostri Jesu Christi Gal. VI. 14.* ac præterea in cognitione DEI Patris & Christi omnes thesauri sapientia ac cognitionis absconditi sunt, *Coloss. II. 23.* sanè doctrina de Jesu Christo, eoque crucifixo, de cruce Domini nostri Jesu Christi, de cognitione DEI Patris & Christi in Symbolo clarè & dilucidè traditur. Adeoque in eo extat axioma illud fundamentale, in cuius virtute & *δραολα*, quicquid ad salutem scitu necessarium est, comprehenditur, ut meritò secundum analogiam fidei, & tum *προνυξμενα* antecedentia seu præsupposita, tum *ἐποµενα* consequentia apprehensum totius doctrinæ cœlestis corpus, & articulorum fundamentalium receptaculum quoddam dicatur. Sicut nempe, quæ à DEO petenda sunt, *Oratio Dominica*; quæ faciendæ, *Decalogus* brevi compendio exhibent: ita quæ etiam rudibus simplicibusque quibusvis ad salutem consequendam credenda sunt, *Symbolum Apostolicum* simplici brevique confessionis ingenuæ forma compendiosè constringit. ut meritò ex innumeris aromatibus pretiosum unguentum in eo confectum Paschasius Præfat. libri de Spiritu S. dixerit: *omnesque hæreticorum opiniones solo symboli gladio detrunca- ri posse Leo Epist. 7. ad Pulcheriam Augustam monuerit. Et S. Au-*



Augustinus, seu quisquis auctor est sermonum de Tempore, *Sermo*.  
181. idem Symbolum ait *breve esse verbis, sed magnum Sacramentum*.  
Isidorus quoque Hispalensis *Orig. lib. VI. 9.* Symbolum continere ait  
*confessionem Trinitatis & unitatem Ecclesiae, & omne Christiani dogmatis*  
*Sacramentum*. Sicut igitur in V. T. Prophetæ conciones suas ad  
populum habitas, mox contractas tabulæ affixerunt, ut rei summam  
paucis populus intelligeret, uti ex Habac. II. 2. eruditi colligunt: sic  
N. T. Doctores Apostolicam doctrinam paucis etiam completi vo-  
luerunt, ut hypotyposin sanorum sermonum etiam simplicissimi qui-  
que in promptu haberent, & tum iudicii, tum memoriæ subsidio  
non destituerentur.

VII. Concinnatum esse Symbolum à *viris Dei* asserimus.  
Haud dubiè enim qui salutarem doctrinam cœlestis veritatis con-  
cinnè ad eò & sapienter ex Dei verbo tradiderunt, fuerunt *ἀπτοί* &  
*θεῶν ἀνδρωποι*, *perfecti DEI homines, ad omne bonum opus κατηρημένοι*  
*adparati*, 2. Tim. III. 16. Sed illi qui fuerint, certatum est variè. Et  
Apostolos quidem non tantum doctrinæ in Symbolo contentæ, sed  
compagis etiam & structuræ verborum, apicūque omnium au-  
thores fuisse, mordicus Pontificii plerique pertendunt, ad eò ut Lau-  
rentium Vallam, Virum doctissimum olim, negantem, quòd Symbo-  
lum articulatim membratimque ab Apostolis compositum sit, Nea-  
poli ad Inquisitionis Tribunal, ut ibi impactæ propterea hæreseos  
causam diceret, raptum legamus, & ipsemet Valla in libello, cui *Ca-*  
*lumnia Theologica* titulum fecit, A. 1552. Argentorati impresso,  
festivè id ipsum testificetur. Parisienses quoque Theologi Erasmo  
*Oper. Tom. 9. pag. 700.* teste, sententiam de Apostolis Symboli au-  
thoribus, *fide tenendam*, ejusque inficiationem *nescientiam esse im-*  
*pietatis deservientem*, asserere non dubitârunt. Genebrardus de *Tri-*  
*nit.* præfractam esse temeritatem ait, *vertere in quaestionem, num A-*  
*postoli verè sint auctores Symboli, quod circumfertur ipsorum nomine.*  
Sed & Baronius ad A. C. 44. *fs. 15. 16.* ex Rufino, Hieronymo,  
Augustino, Leone, aliisque fidem assertioni illi, quæ Symbolum  
ab Apostolis, unoquoque symbolam particularem conferente, com-  
positum esse tueretur, facere indubiam conatur. Et ne frustra ac sine  
Pontificiæ fidei lucro ita statuere videantur, eo argumento etiam  
traditionis necessitatem urgere audent. Ita etiam Lojolita Bailius  
*Catech. q. 9.* quærit: *In quoloco N.T. reperietur, Apostolos post acce-*  
*ptum Spiritum S. in die Pentecostes, antequam in varias orbis partes à*  
*se*

Concinnatum à Viris Dei.

Apostolos ejus collectores fuisse, Pontificii severè pertendunt.

& traditionis necessitatem inde urgent.

*se invicem dividerentur, composuisse Symbolum, quod vocamus, Apostolorum?*

Doctrina  
Symboli A-  
postolica  
est.

Non tamen  
collectores  
Apostoli.

VIII. Doctrinam in Symbolo recitatam, & verbis, quæ in eo extant, significatam, Divinam, Apostolicam esse, adeò constanter asserimus, ut negemus, ullum esse in toto Symbolo vel minimum articulum, qui non disertè constet, ac totidem pœne dixerim verbis, in Scriptura sancta: adeò ut meritò dici possit opus tessellatum, constans ex variis locis hinc inde excerptis, atque in unum collatis, artificiosèque compositis. Placent nobis Eucherii *homil. 1. de Symbolo* illa: *Ecclesiarum Patres de populorum salute solliciti, ex diversis voluminibus Scripturarum collegerunt testimonia, divinis gravida Sacramentis.* Doctrinam igitur Apostolicam in Verbo DEI scriptam esse, certa fide tenemus. An verò verborum doctrinam illam significantium compositio & structura Apostolos authores habeat, quæstio est historica, cujus definitio ad fidem necessariò non requiritur. Nullus igitur hîc *traditionis* locus, utpote quæ non circa verborum structuram, sed circa doctrinam traditam, quàmque illi scriptam negant, versatur. *Quid attinet, magni Chamieri nostri verba, quæ de Canone lib. IX: 10. ss. extant, nostra facimus, de vocibus contendere? Quasi non simus ob aliam causam Christiani, nisi ut in numero habeamus Apostolorum vocabula. Quòd si ita Papista apud se constituerunt, ne ediscant, ne recitent Latine hoc ipsum Symbolum. Nam si illud Apostoli composuerunt, profectò non composuerunt Latine. Catholicis ergo non sunt solliciti, utrum ab Apostolis ἀποστολικὴ ita sit conceptum. Nòrunt enim in Ecclesia auctoritatem esse, fidem variis verbis docendi, dummodo eandem.* Addo ego, iccirco certa fide tenendum non esse, quòd Symbolum Apostolis authoribus concinnatum sit, tum quia de eo in sacra Scriptura, quæ omne DEI de fide & salute nostra consilium, quin etiam res nonnullas minoris momenti prosequitur, altum silentium est: tum quia aliis etiam argumentis non contemnendis ad liquidum perducì potest, Apostolis authoribus Symbolum contextum concinnatumque non esse. Ut vel hinc constet, nullam profus traditioni non scriptæ heic *ὑπόθεσιν* esse. Quod quidem non eo animo asserimus, & mox etiam probatum imus, ut cum viris piis, doctis & orthodoxis, qui re nondum satis ab iis, qui antiquitatum penetrabilia ingressi sunt, excusati, ita quidem communem sententiam de Apostolis Symboli authoribus secuti sunt, ut tamen eam necessariò credendam, & fide tenendam esse nusquam

nuspiam adseveraverint, contendamus: sed ut Pontificii de *Traditionis non scriptæ* necessitate erroris fibras evellamus.

**IX.** Jam olim Valla coram Archiepiscopo Panormitano ad dicam hæreseos sibi conscripam diluendam, his ferè argumentis assertionem suam, quòd Symbolum articulatum ab Apostolis compositum non sit, loco cit. circumvallavit: Ego, ut jam inde inquam à *Luce* incipiamus, quomodo fieri posset, ut tantam rem ille Apostolorum actibus non mandârit, quâ nescio an ulla sit dignior, quæ literis mandaretur? Cujus nec locum, nec tempus, nec modum, nec ordinem iradunt, qui ab Apostolis esse affirmant. Quòd si ab Apostolis symbolum factum esset, non dicam, quâ ratione Arius errâset, sed quid controversie, quid negotii fuisset? quid opus Niceno Concilio ad eum condemnandum? Imò quid opus alio Symbolo? Si enim constabat, quis audeat dicere, singulos ejus articulos singulorum esse Apostolorum? Adde quòd Nicena Synodus Symbolum condidit ad illum usque locum: cujus regni non erit finis. Ergo illud Apostolicum, in quo de Spiritu quoque Sancto commemorabatur, decurraverunt. At postea adiecerunt, quia antea in nullo fuerat Symbolo, quia in Spiritu S. Macedonius delinquebat: qui profecto non errâset, ut reor, si Apostoli perfectum Symbolum reliquissent. Ausim dicere, pene majoris quàm Evangelia auctoritatis futurum, quia Evangelia singulorum essent, symbolum verò totius Apostolici Senatus. Adeone inter Latinos, Græcos unquam de Spiritu S. schisma extitisset? Nec Symbolum Nicenum tantopere, sed Apostolicum nominatum fuisset. Quas rationes Panormitano etiam visas esse probabiles, statim idem Valla testatur. Testimonium hoc utpote *ὀικείον*, & rationibus non contemnendis munitum Viri Doctissimi, Canonici ac Patricii Romani, Alphonsi Arragonum Regis & Pontificis Romani Secretarii, qui Romæ A. 1465. mortuus & sepultus est, Pontificiis modernis opponere è re nobis visum. Is ipse nempe Valla est, (ut obiter dicam) cujus in libro Donationi Constantini M. opposito ejusmodi de Pontifice Romano gnomæ occurrunt. Melius summus Pontifex ab augendo Augustus diceretur, nisi quòd dum temporalia auget, spiritualia minuit. Papa alienas sinit opes, & suas exsorbet, ut Achilles in Agamemnone *δημοβόρος βασιλεύς*. Dico & exclamo, (neque enim timebo homines DEO fretus) neminem mea etate in summo Pontificatu fuisse, ut fidelem dispensatorem aut prudentem, qui tantum abest, ut dederit familie DEI cibum & escam panis.

**X.** Symbolum hoc Apostolis authoribus contextum non est.

B

se

Laur. Valla  
argumenta  
Inquisitori-  
bus opposi-  
ta.

Ejusdem de  
Pontifice  
Romano  
gnomæ.

Symbolum  
Apostolis

authoribus  
exaratum  
non esse,  
est argu-  
mentis de-  
monstratur.

se, pluribus etiam & clarissimis argumentis Theologi nostrates, mul-  
tijugæ doctrinæ laude eminentes, ac inter eos in primis Parkerus de  
*Descensu ad Inferos lib. IV, 15. &c.* Lavaterus de *Descensu ad Infe-  
ros lib. 1. par. IV. 2.* Gerhardus Johannes Vossius de *tribus Symbolis,*  
Gisbertus Voetius *Disp. Tom. 1. pag. 64. &c.* Lucas Gernierus de  
*origine Symboli Apostolici,* aliique adstruxerunt. Erue nonnulla,  
iisdemque Pontificiorum fidem onerare non pigebit. *Primò* si  
Symbolum Apostoli sive soli, sive cum centum viginti viris, sive  
mox post ascensionem Christi, sive decennio post (variant nempe  
sententiæ) concinnârunt, Apostoli, Lucas in primis Actuum scri-  
ptor, haudquaquam rem tanti momenti, Symbolum totius Senatus  
Apostolici, silentio involvissent. Historiam effusionis Spiritus San-  
cti in omnes Apostolos, historiam separationis eorundem, histo-  
riam Apostolicæ Synodi, in qua etiam adiaphora nonnulla conclu-  
sa sunt, Lucas pertexuit. An putamus, præteriturum illum ea decreta,  
quibus Apostoli statuerint de universæ fidei norma, unde salus no-  
stra dependeat? Et si Lucas præteriit, relinquine Apostoli omnes  
præterituri erant, etiam ubi contra novellas hæreses, quæ ex Sym-  
bolo omnium Apostolorum (si quod extitit) haud dubiè feliciùs  
refelli poterant, disputant? Fortiùs etiam argumentum hoc Pon-  
tificios stringit, quòd Symbolum tanquam normam fidei à bap-  
tizandis exigendam, ab Apostolis compositam esse, *fide* tenendum  
sciscunt. *Secundò*, si Symbolum ab Apostolis scriptum est, pars fue-  
rit necessum est ipsius Scripturæ S. quod nemo Pontificiorum asse-  
ruit hætenus. Et sanè veteres Scripturam S. recensentes nusquam  
Symboli meminerunt: imò à Symbolo ad Scripturam subinde ap-  
pellant, uti Paschasium fecisse adversus Macedonium *Biblioth. Pa-  
trum. Tomo IX.* legere est. Scripsit quidem Hieronymus ad Pam-  
machium: *Symbolum fidei & spei nostræ, quod ab Apostolis traditum  
est, non scribi in charta aut atramento, sed in tabulis cordis carnali-  
bus.* Sed pervenit illud ad nos utique in charta & atramento scri-  
ptum. Cùmque Apostoli multa alia, diffidentes memoriæ hominum,  
& integritati Religionis consulentes, tantâ sedulitate scripserint,  
quid causæ esse potuit, cur hanc Christianismi tesseram solam homi-  
num memoriæ committerent, & eorum audaciæ, qui Religionis pie-  
tatem contemere nitebantur? Quòd si verò scribi etiam non po-  
tuit, quidnî vel levis saltem ejus mentio in S. literis fieri potuit?  
*Tertiò* scriptorum Ecclesiasticorum, qui post S. Apostolorum tem-  
pora

pora vixerunt, & Christi ac Apostolorum gesta, Synodorum, Anti-  
 synodorum ac Conciliorum Confessiones ac Symbola anxie adeo  
 gnauiterque descripserunt, Symboli ab Apostolis quocunque tem-  
 pore conscripti meminit nemo. Addo, Patres antiquos, Origenem,  
 Tertullianum, Hilarium, Lactantium, Eusebium, alios summam fi-  
 dei de industria tradidisse, symboli tamen hujus mentione facta  
 omnino nulla. Hilarius *lib. 1.* ita se de Trinitate scripsisse ait, ut ni-  
 hil de ipsa totius fidei absolute deesset. Defuisset autem pluri-  
 mum, si Symbolum illud ab Apostolis scriptum extitisset. Et Con-  
 cilium Constantinopolitanum Nicenum Symbolum, ejusque fidem  
 laudans, Apostolici ne meminit quidem. Idem quoque Hilarius *de*  
*Trinit. lib. 6.* omnes fidei confessiones conquirat & commemorat:  
 at de Apostolico Symbolo ἕδὲ γὰρ, ἕδὲ μὲν. *Quarto* Symboli scriben-  
 di haud dubie occasio fuerunt haereses suppullulantes, quod & vox  
 ipsa Symboli seu tesserae, qua sana doctrina ab erronea discerni pos-  
 set: & usus Symboli in publica fidei professione, etiam baptismali:  
 & haeresium sensim obrepentium, puta Cerinthi, Photini, Sabellii,  
 Arii, Manichæorum, Basilidis &c. cum singulis Symboli articulis  
 comparatio docet. Cum autem haereses illae pleraque Apostolo-  
 rum temporibus nondum subortae sint, Symbolum ejusmodi ab  
 Apostolis ipsis profectum probabile non fit. *Quinto* si Symbolum  
 ab Apostolis confectum esset, omnibus etiam orbis Ecclesiis, aequè  
 ac libri S. Scripturae traditum esset. Id verò si factum esset, nunquam  
 Sanctis Patribus in mentem venisset, tot Symbola & Confessiones,  
 quae perfectione non parùm Apostolico cederent, cedere: sed ani-  
 mum potius induxissent suum εὐργεῖν τὰ πλεονόντοι, uti frui paratis, &  
 praesentis jam Symboli Apostolici gladio haereses oborientes con-  
 fodere. *Sexto* haud dubie in Catechesibus veterum Apostolicum  
 Symbolum, si Apostolis gauderet authoribus, explicatum esset. Cy-  
 rillus autem Hierosolymitanus in Catechesi sua non Apostolicum,  
 sed Constantinopolitanum, seu maius, Orientale verus Ecclesiae Hie-  
 rosolymitanae, τῆς μητρὸς ἀποστολῶν τῶν ἐκκλησιῶν *matris omnium Eccle-*  
*siarum*, uti in Epist. Synodica Concil. Const. 1. vocatur, explicavit,  
 de quo sic *Catech. XVIII. pag. 224.* πρὸς μὲν ἐν ὁμοδοθείσῃ ὑμῶν εἰς  
 ἐπιτολίαν ἀγίας καὶ ἀποστολικῆς πίστεως, ὅσας ἐγὼ χωρεῖ κατηχήσεις, διὰ  
 τὴν ἁγίαν χάριν εἰρηκάμεν. *De tradita vobis ad profitendum sancta*  
*& Apostolica fide, quantum Catechesis capere potuit, per D E I gratianae*  
*diximus.* Hoc ille dixisset de Constantinopolitano, vel Hierosoly-  
 mitano

mitanno Symbolo, si nostrum Apostolicum Symbolum jam agnovisset? Et Patriarcha Hierosolymitanus Symboli Apostolici, quod ab Apostolis Hierosolymis confectum illi pertendunt, ne quidem levissimam mentionem facturum putabimus? *Septimò* si Apostoli auctores fuissent Symboli hujus, procul dubio etiam in baptismo veterum usurpatum illud fuisset. Secus autem omnino res habet. Cyrillus enim idem *Catech. 2.* antiquum Baptismi Symbolum in S. Trinitate sola terminatum fuisse innuit. Quod aliis etiam testimoniis comprobari potest. *Octavò* denique S. Augustinus in scriptis suis quinquies Symbolum hoc explicavit, nempe libro *de fide & Symbolo Tomo III. pag. 139.* & quater in quatuor libris *de Symbol. ad Catechum. Tomo IX. pag. 194.* (si modò eorum author est) Nusquam tamen Divinam vel Apostolicam ei originem vel uno apice tribuit. Imò *Serm. 1. in quinquag. de fide, spe, & charitate, Tom. X. pag. 696.* contrarium haud obscure his verbis innuit: *Fidem, ante omnia, Fratres mei, rectam & immaculatam habere contendite, & secundum Apostolica institutionis normam, & Symbolum à S. Patribus constitutum, memoriter tenete, & religiosè viventes observare studete.* S. Patribus igitur, non Apostolis acceptum refert. Quomodo etiam Eucherius Lugdunensis Episcopus *homil. 1. de Symbolo* ejus originem *Ecclesiarum Patribus* disertè transcribit. Et à Symbolo ad Scripturas Canonicas jam olim Paschasius *Tom. 9. Biblioth. Patrum* provocare ausus est.

Idem demonstratur ex sententiarum de Apostolis Symboli authoribus, varietate & inconstantia.

XI. Duo præterea sunt, quæ Pontificiorum tralatitiam de Apostolis Symboli authoribus opinionem non parùm minuunt, sententiarum nimirum ea de re varietas, & Symboli ipsius identidem mutati, imminuti, aucti diversitas. Ac prius quod attinet, ii, qui Apostolis authoribus illud tribuunt, non parùm sententiarum divortiiis distrahuntur. *Primò* enim dissentiunt in eo, an singuli duodecim Apostoli singulos articulos composuerint, adeoque singuli portionem suam & τὸ ἑπιβάλλον μέρος in commune contulerint? Affirmat Baronius *ad A. C. 44. fs. 17.* Augustini *serm. 115.* Leonis M. *Epistola 96.* Venantii Fortunati *Prefat. in Exegetin Symb. Apost.* testimoniis succinctus. Atque inde etiam Symbolum *collationem* dictam, quia ex collatiis singulorum Apostolorum sententiis conflatum sit, asserunt. Id verò alii negant haud immeritò, tum quia præter morem Apostolorum fuerit, sententias hoc modo articulatim conferre, periodos aut voculas sententiæ suæ pro numero personarum

rum discerpere, illisque potius unius ore loquentes eadem omnes locuti Marth. XVI. 16. Joh. VI. 68. Act. XV. 13. &c. inducantur, more scilicet in Comitibus, Senatusconsultis, Conciliis & Synodis recepto: tum quia sententia ea vix alio quam erroneo vocis etymo, adeoque infirmo tibicine, quasi Symbolum idem esset quod *collatio* (quanquam verè Symbolum *collatio* est, sed non à pluribus, verum *ex pluribus* facta, adeoque, Cajetani verbis utor, non à colligentium, sed à collectorum pluralitate sic dicta per allusionem, nitatur: tum quòd verisimile neutiquam sit, Paulum, conversionis gentium organon excellentissimum ad confessionis illius constitutionem admissum non fuisse, cui tamen cum falsis Apostolis è circumcissione subortis, perpetuò decertandum fuit. Adde ego, duodecim illos articulos, qui hodie extant, in eam verborum structuram diverso tempore, neque ante annum quadringentesimum coaluisse, uti mox ejus rei fidem faciemus. Ipsi etiam Pontificii in supputandis articulis sibi parum constant, aliis in *Decretali de Summa Trinit. & fide Cathol.* septem: aliis, veluti Thoma 2. 2. q. 1. art. 8. quatuordecim constituentibus. Pensa quoque inter Apostolos distributa non eodem modo asserunt. Baronius ex Augustino suppositio, Petro verba: *Credo in DEUM Patrem omnipotentem; Johanni, Creatorem cæli & terra; Jacobo: Credo in Iesum Christum, Filium ejus unigenitum, Dominum nostrum; Andreæ: qui conceptus est de Spiritu S. ex Maria Virgine; Philippo: passus sub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus & sepultus; Thomæ: descendit ad inferos, tertia die resurrexit à mortuis; Bartholomæo: ascendit ad cælum, sedet ad dexteram DEI Patris omnipotentis, Matthæo: inde venturus est judicare vivos & mortuos; Jacobo Alphæi: Credo & in Spiritum S. S. Ecclesiam Catholicam; Simoni Zelotæ: Sanctorum communionem, remissionem peccatorum; Judæ Jacobi: carnis resurrectionem; Matthiæ: vitam aeternam, tribuit. Quis non videri portiones non tantum minutatim concisas, sed etiam imperitè divulsas, non à Sapientibus certè Apostolis, sed otiosis hominibus? Alii igitur, fatente Biele, in 3. Sent. d. 25. art. 1. not. 1. aliter distribuunt. Quicquid sit, Erasmus Tomo IX. pag. 702. istam sententiarum collationem pictorum commento adscribere non dubitavit. Secundo in tempore etiam conditi ab Apostolis Symboli dissensus est. Alii enim, conditum esse mox, ubi Spiritus S. in Apostolos descendit, ex Rufino & Isidoro affirmant. Baronius verò ad annum Claudii secundum, qui decimus erat à passione Christi,*

sti, quo Apostoli dividi cœperint, & ad vitandam Herodis persecu-  
tionem ad gentes perrexerint, compositionem hanc retulit. Tertiò  
non convenit inter eos, an Apostoli ex iis, quæ fuse ad eò scripse-  
runt, hæc capita excerpserint, atque ita omnem fidei doctrinam hoc  
compendio constrinxerint; an verò Spiritu sic suggerente, citra  
alieni vel sui scripti opem, composuerint? Prius certè cum ratione  
temporis ab ipsis supra designati neutiquam convenit, cum nec pri-  
mo, nec decimo post mortem Christi anno quicquam adhuc Apo-  
stoli scripserint. Quarto denique in causa Symboli ab Apostolis ex-  
arati dissident. Alii enim causam ejus exarandi sollicitudinem, ne  
distracti alii alia docerent, atque ita animis ab alienarentur, fuisse as-  
serunt: alii, ut Ecclesia certam & constantem formulam, ad quam  
baptizandi adstringerentur, haberet. Prius non parùm derogat  
authoritati & certitudini doctrinæ Apostolorum, qui cum omnes  
repleti fuerint Spiritu S. in omnem veritatem eos ducente, errare,  
& diversa docere non potuerunt. Sanè etiam Paulus, licet cum car-  
ne & sanguine non contulerit, idem tamen cum aliis Apostolis præ-  
dicavit.

Nec non ex  
ejusdem  
crebrò im-  
mutati di-  
versitate,

XII. Sed & posterius, Symboli nimirum identidem mutati,  
aucti, minuti diversitas non parùm opinioni Adversariorum præscri-  
bit. Etenim si Symbolum Apostolis authoribus editum esset, inde  
ab Apostolorum temporibus eadem, qua hodie extat, formam con-  
spicuum fuisset, non mutatum, interpolatum identidem. Nunc ve-  
rò varietas maxima jam quadringentesimo à Christo nato anno à  
Rufino notata est. Is enim in expositione Symboli ante omnia mo-  
net, quod in diversis Ecclesiis aliqua inveniantur adjecta; in Ecclesia  
tamen urbis Roma hoc non deprehendatur factum. Cujus rei causam  
hanc videlicet reddidit, quod neque hæresis ulla illic sumpserit exordium,  
& mos ibi servetur antiquus, eos qui gratiam Baptismi suscepturi sunt,  
publicè, id est, fidelium populo audiente Symbolum reddere, & utique  
adjectionem unius saltem sermonis eorum, qui præcesserunt in fide, non  
permiserit. Non igitur hodierna Symboli forma illa est, quam ante se-  
culum illud Romana Ecclesia habuit, sed immutata non parùm & in-  
terpolata. Quod ex comparatione Symboli Apostolici Romani, A-  
quilegensis, & Orientalis, ab eodem Rufino diligenter instituta li-  
quidò apparet. Ita enim (ut paucis diversitatem Symbolorum il-  
lorum ex Rufino, nec non ex duobus antiquissimis exemplaribus  
Symboli brevioris, quorum alterum Græcè ad calcem Psalterii Lati-  
ni



ni Regis Ælhelstani in Bibliotheca Cottoniana conservatum; alterum Latine ad finem Græco-Latini Actuum Apostolicorum Codicis in Bibliotheca Oxoniensi reconditum, Usserius Armachanus exhibet, indicemus) in articulo primo Symbolum Apostolicum Orientale habuit: *Credo in unum DEUM Patrem &c.* addita voce, *unum. Post omnipotentem, Orientale & Aquilegiense addit, invisibilem & impassibilem*, quæ verba Romanum & Usseriana non agnoscunt. Verba, *Creatorem Cæli & Terre*, Aquilegiense omittit, nec quod in Romano existit, Rufinus monet: Usseriani etiam codices palam omittunt. In articulo secundo ad verba illa: *Et in Jesum Christum Filium eius unigenitum*, Orientale addit, *unum scilicet DEUM & unum Dominum*, quæ Aquilegiense & Romanum non habent: Usseriani simpliciter: *Τὸν κύριον ἡμῶν, Dominum nostrum*. In articulo tertio Aquilegiense & Usseriana omittunt *conceptus*. articulo quarto verba, *passus & mortuus est*, Aquilegiense & Usseriana omittunt. Verba illa, *Descendit ad inferna*, nec in Romano, nec in Orientali lecta esse, Rufinus testatur. Non apparent etiam in exemplaribus Usserianis. In articulo sexto Aquilegiense & Usseriana omittunt vocem *Omnipotentis*. In septimo pro verbis, *unde venturus est iudicaturus vivos & mortuos*, Venantius Fortunatus legit, *iudicaturus vivos & mortuos*. In articulo octavo in verbis: *Credo in Spiritum S.* Aquilegiense & Usseriana omittunt *Credo*. Aquilegiense enim habet: *Et in Spiritum S.* Usserianum Græcum: *Καὶ εἰς πνεῦμα ἅγιον*: Latinum, *& in Spiritu S.* In articulo nono Aquilegiense & Usseriana omittunt voces *Catholicam, Sanctorum Communionem*. In articulo undecimo Aquilegiense habet: *resurrectionem huius carnis*. articulus duodecimus de eterna vita Rufino, ut & Hieronymo, qui *Epist. 61. adv. Pammachium* omne Christiani dogmatis Sacramentum carnis resurrectione concludi asserit, incognitus fuit, neque etiam in Usserianis exemplaribus comparet. licet in Græco à Marcello Ancyrano professioni fidei suæ ad Julium Romanum Antistitem inserto, nec non apud Epiphanium in hæresi LXXII. & Authorem libri de Symbolo ad Catechumenos, qui in Tomo IX. operum Augustini exhibetur, extet. Sed & Symbolum, quod in Hispania A. C. 785. Etherius Uxamentis Episcopus, & Beatus Presbyter adversus Eliphandum produxere, non ejusdem cum moderno in omnibustenoris est. Nam & in eo verba *Creatorem cæli & terra*, nec non, *conceptus*, omittuntur; & tertia die Christus resurrexisset *vivus à mortuis*

à mortuis dicitur, & ad verba peccatorum remissionem additur, omnium. Ne de inverfo ordine beneficiorum Ecclesiæ, quem apud Usserium pag. 8. in Symbolis nonnullis videre est, dicam. Sed & Symbolum verus Alemannicum (quod Germani veteres *Swertff* à conjiciendo, eò quòd Articuli ab Apostolis coniecti & conscripti crederentur, nominant) quod Vadianus lib. 2. de *Monast. Germ.* & ex eo Ursinus de *Orig. Eccles. Germ.* p. 127. ex Psalterio Notkeri recitant, in nonnullis ab hodierno variat. Tanta porro varietas & mutatio Symboli Apostolicum certè scriptum non sapit. *Quis audeat, ita Erasmus Apol. ad 24. libros Alb. Pii Tom. IX. p. 958. loquitur, addere, demere aut mutare quicquam in scripto totius Senatus Apostolici auctoritate prodito, quum id plusquam sacrilegium sit audere in Evangelio, quod unus aliquis conscripsit?*

Testimonia  
veterum de  
Apostolis  
Symboli  
authoribus,  
examinata,

XIII. Neque verò veterum, quæ Theologi Parisienses, Baronius, Sixtus Senensis, aliique proferunt, testimonia tanti sunt, ut opinionem adversariorum de Apostolis Symboli Authoribus, tot rationum momentis repugnantem, statuminare queant. Liturgiæ Jacobi, Dionysii Areopagitæ & Clementis Romani Pseudepigrapha nil moramur. Neque etiam Irenæus lib. I. cap. 2. & III. 3. 4. ad-  
*versus hæreses per fidem, traditionem*, Symbolum modernum Apostolicum intelligit; quod verba ejus attentius considerata satis ostendunt, quicquid etiam in Notis ejus Fevardentius declamet: sed substantiam doctrinæ Christianæ, quam per prædicationem Apostolorum & successorum eorundem acceperunt, quam titulo *traditionis* à barbaris gentibus acceptæ & custoditæ lib. III. 4. à scriptis Apostolicis disertè distinguit. Variat etiam admodum Irenæus verba traditionis istius percensens, ut appareat, eum doctrinæ fidei intentum, texturæ verborum rationem non habuisse. Denique Symbolum nostrum à fide illa Irenæi in verbis & rebus, mutatione, additione, detractione multum dessectit. Primus forte Rufinus, cujus in aliis fidem Pontifici sollicitare crebrò solent, (adeò quidem ut Posssevinus *Appar. S. Trin. II. pag. 258. ejus scripta labyrinthum* vocaverit, negaveritque satis constare, cujus religionis vel ingenii fuerit) in *Exposit. Symboli* ad Apostolos Symbolum, quanquam nec illud ejusdem cum hodierno complexionis verborum, traditionis (cujus vis apud prudentes, non ignaros, quantopere non semel jactata traditio piis Patribus imposuerit, nulla est) obtentu retulit. Sed & remotior is fuit ab Apostolorum ætate, utpote qui sub fi-  
nem

nem seculi quarti scripserit : & ratione idonea, vel teste fide digno assertionem suam neutrquam ille corroborat. Hieronymus *ab Apostolis traditum Symbolum* scribens *Epist. ad Pammachium*, vel doctrinam Symboli, non verborum texturam respicit : vel eodem quo Rufinus, traditionis errore pallet. Augustini denique *Sermonem* 115 esse ex ovis illis, quorum satis multa una eademque fœda avis in nidos Patrum intulit, ne ipsi quidem Adversarii inficiantur.

XIV. Sic ergo Apostolos non esse contextus Symboli authores, abundè colliquescit, & simul traditionis colores evanescunt. Qui verò ejus authores fuerint, propiores Apostolico Seculo, an ab eo nonnihil remotiores, parùm certè refert. Episcopum & Clerum Romanæ Ecclesiæ authorem ejus fuisse, Polyhistor Vossius *Dissert. 1. ss. 24.* asserit, eoque probat, quòd nec ab Apostolis, nec ab ulla Synodo Oecumenica concinnatum esse, in Ecclesia Romana obtinuisse, & ab eadem in alias Occidentis Ecclesias derivatum esse constet. Compositum autem esse demum post annum trecentesimo octogesimum secundum, Cl. Lavaterus & Parkerus arbitrantur. Quibus tamen non immeritò illud Vossius objicit, quòd, Rufino teste, Symbolum illud in Ecclesia Romana jam anno quadringentesimo ita personuerit, ut tunc traditio Apostolica haberetur. In Concilio Niceno compositum esse, Erasmus ariolatur. Si quis conjecturæ locus, Symbolum illud prius verè Divinum & Apostolicum, quod th. III. explicavimus, primò in Ecclesia sonuit, & in Baptismo recitatum est. Ex eo veluti principio & fundamento Ecclesiæ Christianæ Orientales & Occidentales auctiora sibi symbola condiderunt. De Orientalium Ecclesiarum, Hierosolymitanæ, Alexandrinæ, Cæsariensis Symbolis, quæ sibi illæ etiam ante Concilium Nicenum confecerunt, dubitari nequit, cum ejusmodi Symbola apud Cyrillum Hierosolymitanum, in *Catechet. Socratem, Hist. Eccl. lib. 1. Eusebium Epist. ad Cæsarienses*, quæ apud Athanasium *Tom. II pag. 48.* habetur, prostent. Haud segnior cerrè Ecclesia Romana maturè satis, saltem ante seculum quartum (cum Rufini ætate Symbolum Romanum, ut pridem jam receptum comemoretur) de Symbolo, sed breviori adhuc sibi prospexit. Illud paulatim auctum, & forte etiam ex Ecclesiæ Romanæ Symbolo *ἑοικυέντων*, quod Rom. I. 1-6. habetur, locupletatum est, donec in eam, qua hodie extat, formam, non ante quintum tamen seculum, coaluit. Qua in re tamen abundare quemque suo sensu posse arbitramur.

Genuini authores Symboli inquiruntur.

C

XV. Sym.

Forma Sym-  
boli exte-  
ria.

**XV.** Symbolum à Viris DEI concinnatum esse *Confessionis forma* asserimus. Quod enim corde credimus ad justitiam, id ipsum ore in Symbolo confitemur ad salutem. Non sola nempe fides, sed etiam fidei confessio ad salutem requiritur, Matth. X. 32. Marc. VIII. 38. Rom. X. 9. Unde fides ipsa ὁμολογία εἰς τὸ Ἐυαγγέλιον ἔστι Χριστὸς confessio in Evangelium Christi vocatur, 2. Cor. IX. 13. Et Christus fidei nostræ ἀρχηγὸς καὶ τελειωτὴς princeps & consummator idem, etiam Ἀπόστολος τῆς ὁμολογίας Apostolus confessionis nostræ Heb. III. 1. cluet. Nempe propter ἡέσιν seu habitudinem confessionis veræ fidei ad internam veram fidem, præcepto affirmativo æquè ad confessionem, ubi eam edi gloriæ DEI, salutis nostræ & proximi refert, ac ad ipsam fidem adstringimur. Scitè igitur S. Augustinus Serm. 181. *Notum est, quòd milites Seculi beneficia temporalia à temporalibus dominis excepturi, prius Sacramentis militaribus obligantur, & dominis suis fidem se servaturos profitentur. Quantò magis ergo àterno Regi militaturi, & aterna præmia percepturi, debent Sacramentis cælestibus obligari, & fidem, per quam ei placituri sunt, publicè profiteri. Dicit enim Apostolus: Sine fide impossibile est, placere Deo. Hanc in cordibus nostris agnoscit, qui scrutatur corda & renes. Sed propter conservandam Ecclesie unitatem, dispensationi hujus temporis cum fide cordis necessaria est oris confessio. Non enim aliter frater de fratre sentiret, nec pax Ecclesie servaretur, nec alium docere, aut ab alio discere saluti necessaria posset, nisi quod in corde habet, signis vocum, tanquam suis vehiculis, ad aliorum corda transmitteret. Est ergo fides & corde servanda, & ore promenda.*

Confessio  
fidei, quæ  
credit.

**XVI.** Est autem in Symbolo confessio fidei geminæ, nempe tum illius, *quæ credit*, tum illius, *quæ creditur*. Illa in tabula cordis tantum, hæc & in cordis & in revelationis externæ tabula scripta est. Fides *quæ credit*, indigitatur verbo *Credo*. Estque illa tum γνώσις, certa notitia mysterii, revelationi Divinæ innixa, Joh. XVIII. 3. notitia puta rei revelatæ, non causarum revelationis, ἔστι δὲ, non ἔστι δόξιν; non *implicita*, Ecclesie solius testimonio freta, quæ revera stupor quidam est, & voluntas ignorandi verbum DEI, ac electio verbi humani præ Divino; sed ratione canonis saltem verbi DEI, & fundamenti salutis, quod in verbo DEI traditur, *explicita*: tum συγκατάθεσις assensus firmissimus cognitæ veritati mysterii habitus, quo obfirmamus, quòd DEUS verax sit, Joh. I. 33. 34. quam Paulus 2. Cor. IX. 13. ὁμολογίαν ad stipulationem, qua ad dicta DEI, ναὶ, ναε, καὶ ad contestationem eius Ἀμήν,

*Ἀμὴν* Amen dicimus 2. Cor. I. 20. eam esse justam, veram & bonam  
 confitentes, vocat; quæque in iis est, qui nucleum Verbi DEI &  
 fundamenti salutis perceperunt: tum denique *πεποιθῆναι* & *πίστις*  
*πιστία*, fiducia firmissima, filiali erga DEUM Patrem affectu prædi-  
 ta, quâ subnixa fides ita in DEO ejusque promissionibus acquiescit,  
 ut certò secum constituat, non aliorum duntaxat, sed suum quoque  
 Patrem, Salvatorem & sanctificatorem DEUM esse, sibi quoque  
 peccata remissa, æternæque vitæ hæreditatem paratam esse. Quæ  
 fiducia non tantùm est fidei, à se omnique alio præsidio confugien-  
 tis ad certissimum præsidium Christum, sed etiam fidei arcem salutis  
 apprehendentis, in ea acquiescentis, lætantis & gloriantis.

XVII. DEUM esse, & omnipotentem esse, inter ea haud du-  
 biè est, quæ *γνωστὸν θεῶν*, natura de DEO cognoscibilia sunt. Ex DEI  
 enim operibus *invisibilia DEI*, æterna ejus potentia & divinitas co-  
 gnoscuntur Rom. I. 19. 20. At DEUM, ut patrem suum, propi-  
 tium sibi in Christo, & peccata remittentem caro & sanguis non re-  
 velat, sed Pater ille, qui in cœlis est, verbo & spiritu suo fidei nostræ,  
 quæ ipsa quoque ejus singulare donum, electis eximium est, sug-  
 gerit. Fide igitur, & unctione Spiritus S. credimus, & *νοῦν μὲν* salu-  
 tariter *animadvertimus*, non ratione, vel cum carne & sanguine de-  
 liberantes assequimur, verbo DEI creata esse secula, DEUM esse, &  
 remuneratorem esse quærentibus se, Christum esse Filium DEI vi-  
 ventis, Spiritum esse arrhabonem nostrum, Hebr. XI. 3. 6. Matth.  
 XVI. 17. 2. Cor. I. 22. Vide, ita S. Augustinus *Serm. 181. de Tempo-*  
*pore*, ad verbum illud confessoris, *Credo*, commentatur, quòd *Do-*  
*minus noster non nos jubet discutere divina judicium, sed credere, nec ra-*  
*tionem requirere, sed fidem simpliciter, & immobiliter exhibere.* Ru-  
 finus etiam *Exposit. Symb.* similibus necessitatem credendi satis ido-  
 neis sic declarat: *Ut intelligentia aditus tibi pateat, rectè primò*  
*omnium te credere profiteris: quia nec navim quis ingreditur, & li-*  
*quido ac profundo vitam committit elemento, nisi se priùs credat posse*  
*salvari. Nec agricola semina sulcis obruit, & pro frugibus spargit in*  
*terram, nisi crediderit venturos imbres, affuturum quoque Solis tepo-*  
*rem, quibus terra confota segetem multiplicata fruge, ac ventis spiran-*  
*tibus nutriat. Nihil denique est, quod in vita geri possit, si non credu-*  
*litas ante præcesserit. Quid ergo mirum, si accedentes ad DEUM, cre-*  
*dere nos primò omnium profiteamur, cum sine hoc nec ipsa exigi possit vi-*  
*ta communis.*

Fides, non  
 ratio myste-  
 ria appre-  
 hendit.

Confessor  
pro se, non  
pro aliis  
confiteatur.

XVIII. Orat quisque ex præscripto Christi pro se & aliis: *Pater noster* &c. non duntaxat, *Pater mi.* At hic quisque confiteatur pro se: *Credo, non, credimus.* Nempe tametsi nobis omnibus convenit, ut alter pro altero oremus, adulti ramen singuli propriam & peculiarem fidem habeant oportet, cum alterius oratione salvari aliquis possit, at alterius fide vivere, justus & fidelis esse nemo queat. *Iustus enim* יָדוּם בְּאֵמוּנָתוֹ *sua fide viret,* Habac. II. 4. Præterea Symbolum in primitiva Ecclesia eum apud adultos inprimis usum habuit, ut exigeretur in baptismo. Ex baptizando enim quaerebatur, *quid credis?* Respondebat ille: *Credo in DEUM Patrem &c.* Sic singuli adulti fidei suæ confessionem edere pro se, non pro aliis debuerunt.

In Symbo-  
lo est con-  
fessio fidei,  
spei & cha-  
ritatis.

XIX. Fidei huic, quæ in DEUM Salvatorem credit, indivi-  
duo nexu cohæret spes & charitas: quæ tria non parùm Symboli  
usum commendant. Et *fides* quidem, quia *oorde credentes Dominum*  
*Jesum ex mortuis à DEO resuscitatum, & ore Dominum confitentes*  
*servamur,* Rom. X. 9. *Charitas* verò, quia confessionis hujus Sym-  
bolo admonita consortes fidei, *ισότιμον πίστιν* æquè *preciosam fidem* per  
eandem DEI gratiam nactos agnoscit, colit, amat, & omnibus Chri-  
stianæ communionis officiis prosequitur. *Spes* denique, utpote quæ  
resurrectionis carnis & æternæ vitæ fiducia & expectatione anima-  
ta, militiæ hujus, in qua tantisper dum in carne vivimus, & à Domi-  
no peregrinamur, tædia & ærumnas concatenatas sustinet, tandè-  
que victrix superat.

Confessio  
fidei, quæ  
creditur,  
ingenere.

XX. Fides *quæ creditur,* est id omne, quod in Symbolo cre-  
dendum proponitur. verbo, DEUS Pater, Filius & Spiritus S. non  
in essentia duntaxat unica & personis tribus, sed inprimis in œco-  
nomia illa, quæ ad salutem nostram requiritur. DEUS *Pater* nempe  
ut Creator & Conservator omnipotens omnium, electorum inpri-  
mis, quibus ex divitiis sapientiæ & misericordiæ suæ in æterno de-  
creto suo statuit Salvatorem, Prophetam, Sacerdotem & Regem:  
DEUS *Filius,* ut redemptor, qui per obedientiam & oblationem  
suam nos ex perditionis fovea redemit: DEUS *Spiritus S.* qui pro-  
pter meritum Filii nos obsignat, & ut munus nobis datur, ut fiat Arr-  
habo noster, qui que ad eò in nobis manet, nos Christo ut capiti &  
fidelibus ut membris conjungit, pro nobis intercedit, & salutem san-  
guine Christi partam in remissione peccatorum, corporis resurre-  
ctione & vita æterna communicat. Unde juxta tres personas SS.  
Trini-

Trinitatis & tripartitam salutis nostræ œconomiam totidem Symboli partes præcipuæ haud immeritò constitui solent. Symbolum nempe in usum Catechumenorum, qui ad S. Baptismum admitti debuerunt, compositum esse, supra admonuimus, & Rufinus testatur. Sicut autem eos baptizari oportuit in nomine Patris, Filii & Spiritus S. sic etiam necessum fuit, ut fidem suam in DEUM Patrem, Filium & Spiritum S. explicatè profiterentur, & quid quisque in salutis œconomia, juxta commune consilium & operationem indivisam præstiterit, clarè edifferent, & testatâ fiduciâ suâ amplecterentur.

XXI. Fides non in creaturis, sed in solo DEO, qualem is se in verbo revelavit, acquiescit. Ideo in DEUM Patrem, Filium & Spiritum S. nos credere profiteamur: at in Ecclesiam, ad eòque etiam electos in Ecclesia, utcunque fide & sanctitate præmineant, nos credere non profiteamur. In DEUM credimus: Ecclesiam, non in Ecclesiam credimus. Nam credere in aliquem significat, aliquem recipere, ut veracem testem, & testimonio ejus confidere. Et si autem in Scripturis sæpè promiscuè sumuntur idem significantes phrasæ de fide, quas distinxit S. Augustinus *Serm. 181.* libet tamen ejus verba, quorum heic saltem nonnullus usus est, adscribere. Sic autem ille: *Non dicit: Credo DEUM, vel credo DEO, quamvis & hæc saluti necessaria sint. Aliud enim est, credere illi: aliud, credere illum: aliud, credere in illum. Credere illi, est credere, vera esse, quæ ille loquitur. Credere illum, credere, quia ipse est DEUS. Credere in illum, diligere illum. Credere vera esse, quæ loquitur, multi & mali possunt. Credere ipsum esse DEUM, hoc & Demones possunt. Credere verò in DEUM, soli noverunt, qui diligunt ipsum: qui non solum nomine Christiani sunt, sed & factis & vita, quia sine dilectione fides & vita inanis est. Igitur credere DEUM, est, persuasum esse, quòd DEUS sit: credere DEO, fidem ipsius testimonio affirmanti vel neganti rem præteritam vel futuram habere: credere in DEUM, fiduciam in DEO reponere, ac in primis promissionibus ejus confidere. Posterius quodque prius includit: at à priori posterius non semper includitur. Credere etiam creaturas non prohibemur, at credere creaturis, ut autò-*

Fides in solum Deum refertur.

Credere Deo, Deum, in Deum.

XXII. Fides in DEUM Patrem, Filium & Spiritum S. in Symbolo tradita, habet *κρίσις δόξας*, certas, principales & dominantes sententias, quas *articulos Symboli* vocamus. Sunt autem articuli hi ex communi divisione Ecclesiæ in universum duodecim, totidem

Articuli Symboli in specie.

videlicet *margaritā*, uti Rufinus vocat, juxta numerum duodecim Apostolorum, quorum communem doctrinam, cui ceu fundamento, Jesu Christo *ἀνγούωνια* angulari lapide substrato, inædicamur, Ephes. II.20, Symbolum complectitur. Eos paucis nunc exponere conabimur, Latinis vocabulis, utpote originalibus retentis.

Articulus I.  
de Deo Patre.

XXII. Articulus *Primus* fontem & originem omnium bonorum ponit his verbis: Credo in Deum Patrem, Omnipotentem, Creatorem Coeli et Terræ. Accedente in ad Deum credere oportet, quod sit, & remunerator sit iis, qui quarunt ipsum. Hebr. XI.6. Hoc igitur in fide primum, credere, Deum esse, qualem videlicet se revelavit, naturā unum, & personis trinum, I. Joh. V.7. In eum nos credere profitemur, ut *Patrem*, vocabulum ineffabilis & arcani Sacramenti, uti Rufinus hic vocat; quia *ἕίς ὁ πατήρ ἡμῶν, ὁ ἐν τοῖς ἔθνεσιν, unus Pater nobis est, ille qui in Cælis* Matth. XXIII.9. ex quo *πάντα πατέρα* omnis paternitas in Cælo & terra nominatur. Eph. III. 15. Pater autem est tum Domini nostri Jesu Christi Eph. I.3. quem ab æterno genuit, sed quomodo genuerit, quod Angeli nesciunt, Prophetis est incognitum, ne queratur, cum à nobis non discutiendus sit Deus, sed credendus, uti sanctus Augustinus hic loquitur: tum hominum omnium per creationem, fidelium imprimis per regenerationem, quibus Christus morte sua jus acquisivit *τέκνα Θεῶ γενέσθαι*, ut fiant filii Dei Joh. I. 12. quique adeò dicere possunt: Deus mi, & Pater mi, Joh. XX. 17.28. In quem qui credit, is eam in eo, ceu Filius, fiduciam habet, quòd nimirum se æterno amore profectus fuerit, secum egerit, non ut Dominus, sed ut Pater, hæreditatem à jactis mundi fundamentis, sine ullo merito suo, in solo Christo, filio suo, cui per efficaciam Spiritus S. insertus sit, sibi destinans. Deum Patrem connectens Symbolum ostendit, quòd non ante Deum esse cepit, & postea Pater, sed sine ullo initio & Deus semper & Pater est, inquit S. Augustinus *loc. cit.* Credimus porro in Deum Patrem *παντοκράτορα* Omnipotentem, utpote apud quem *πάντα δυνατὰ* omnia possible sunt, Matth. XIX.26. quique in Cælis est, & facit quicquid ipsi placet. Psal. CXV.3. Sed quod malum est, quod culpam abnegati sui, suarumque virtutum ei affricaret, ei non placet. Neque illud facere potest, non propter defectum potentiae, sed propter ejus abundantiam. Nam facere quod rectum, *θεοσπεπὲς* non est, impotentia id, certusque potentiae defectus est. Imprimis illa *παντοκράτορις* omnipotentia salutis nostræ anchora est, ut peccati lepra infecti dicere

Deus quomodo Pater?

Deus Pater cum conjugantur?

Omnipotentia Dei Patris.



cere possimus : *Domine , si velis , δύνασάς με καθάρῆσαι , potes me purificare* , Matth. VIII. 2. Denique credimus in Deum Patrem, Omnipotentem *παντίην ὄντα γενῆ καὶ γῆς, Creatorem Cæli & terra.* Deum esse Patrem nostrum optimum , benignissimum , potentissimum , operibus suis declaravit. Nam cum ab æterno nos elegerit in Christo , & quidem *καὶ πρόθεσιν secundum propositum* , non ex operibus , sed ex vocante , miseraturus quem volebat , Ephes. I. 3. Rom. IX. 11. 18. in tempore etiam Cælum & terram , & quæ in iis sunt , verbi , seu nutus , jussionis , voluntatis suæ virtute creavit , atque in iis inprimis hominem ad imaginem suam condidit. Neque ita omnia creavit , ut posthac otiosus operis sui spectator esset , sed operari nunquam cessans Joh. V. 17. omnia quæ creavit , hominem inprimis , providentia sua sustentat , ut omnia ab ipso *in suo esse , moveri & vivere* Act. XVII. 28. dependeant ; & gubernat sic , ut nihil sine ejus consilio & nutu , nec non sine manifestatione gloriæ ejus eveniat , utque inprimis homini salvando verbum suum , Spiritus & Salvator destinato tempore neatiquam desit. Qui *ex tenebris lucem splendere jussit* , adeoque Cæli & terræ Creator omnipotens & principium est , idem certè etiam restaurationis & salutis nostræ in Christo principium est , potens *splendere in cordibus nostris* , ad illuminationem cognitionis gloriæ Dei in facie Jesu Christi , 2. Cor. IV. 6. Ex quibus articuli hujus de persona Dei Patris ejusque in salutis nostræ negotio œconomia , sensus & *secretum Sacramentum* , uti etiam S. Augustinus appellat , abundè constat.

Deus Pater  
 Creator est  
 Cæli & ter-  
 ræ.

XXII. Articulus *Secundus* connectit confessionem Jesu Christi his verbis : ET IN JESUM CHRISTUM, FILIUM EJUS UNIGENITUM, DOMINUM NOSTRUM. Ubi verbum *Credo* *καὶ ἰσχυρῶς* repetendum. Procedit enim hic periodus , initio factò à *credo* , & simul duarum Trinitatis personarum mentio connectitur per particulam ET. Cujus hæc ratio esse videtur , quòd authores Symboli locum Joh. XVII. 3. ante oculos habuisse videntur , ipsaque cognitio *Patris* , & cognitio *Filii* res adeò reciproca , & inter se ad religionem constituendam & salutem obtinendam connexæ sunt , ut separari nequeant. Sicut autem in *Patrem* : ita etiam in *Filium* ejus unicum Jesum Christum nos credere profiteamur. *Advertite* , ita S. Augustinus *Serm. 181. c. 2.* monet , *quomodo in Patrem , sic & in Filium credendum est. Et quia cum Patre equalis est Majestate , tantum ipsi , quantum & Patri honoris nos debere novimus , & servitutis obsequium.* Cre-  
 dimus

Articulus II.  
 de Jesu  
 Christo.

Christi Dei-  
 tas.

Ejusdem filiatio.

Iesus eum dicitus?

Christus.

Dominus noster est ob potestatem in Ecclesiam.

dimus autem in *Filium* (DEI Patris) *unicum*. Christus nempe Filius DEI est κατ' ἐξοχὴν, & κατ' ὁρισμὸν seu definitionem ipsius, tanquam unius & totius filii, ὁρισθεὶς υἱὸς τῆς Θεῆς definitus *Filius DEI*, Rom. I. 4. adeoque ἀγαθοτέρως distinctè & specificè appellatus *Filius*, exclusis aliis omnibus, quotquot in Cælo & terra filii Dei dicuntur. S. Augustinus loc. cit. *Unicus ideo, quia nec comparationem recipit cum creaturis, nec similitudinem, quia omnium rerum ipse creator est. Homines autem vocantur filii Dei per gratiam, ille solus Filius genitus per naturam.* Est is Filius DEI μονογενὴς *unigenitus* Joh. III. 16. ἰδιόχρηστος *proprius*, Rom. VIII. 32. ὁμογενὴς *hodie genitus* Psal. II. 8. ut notetur generatio æterna, non præteriens, sed in omni hodie, seu tempore manens. Æquivalent huic nomini קוֹמָץ *germen* Jehovah Esaj. IV. 2. Zach. VI. 12. חַיִּים *dilectus Domini* Deut. XXXIII. 12. ἀνατολή *exortus* Luc. I. 78. Quia autem Filius DEI Patris unicus ἀπαύλασμα *splendor* Patris Hebr. I. 3. habens *vitam in se* Joh. V. 26. adeoque ἐν ἑαυτῷ *unum* cum Patre Joh. XVII. 22. est, iccirco & in ipsum credere, & ipse *Iesus Christus Dominus noster* fieri potuit. **JESUS**, Salvator cœlesti oraculo hoc nomine donatus, quia *populum suum à peccatis salvat*, Matth. I. 21. hoc est, non tantum à pœnis & servitute peccati per potestatem liberat, sed soluto redemptionis pretio, à maledictione, peccato primorum parentum & nostro annexa, efficacia & merito justitiæ liberat, justificat & glorificat, **CHRISTUS unctus**, quia à DEO Patre ab æterno *præcognitus*. 1. Pet. I. 20. *unctus ante secula* Prov VIII. 22. in tempore etiam à Spiritu S. *unctus oleo lætitiæ præ consortibus suis* Psal. XLV. 8. ut fiat noster *Propheta* Deut. XVIII. 15. 18. *Sacerdos* Psal. CX. 4. & *Rex* Zach. IX. 9. Denique **DOMINUS NOSTER**, quia *Dominum & Christum eum fecit DEUS* Act. II. 36. ipsi *omnem potestatem in Cælo & terra* dedit, Matth. XXVIII. 18. Ipse enim ditissimus Dominus emit nos sibi קוֹמָץ *non argento* Esaj. LII. 3. sed *proprio sanguine suo pretioso* 1. Pet. I. 19. Act. XX. 28. ut ita, quotquot in ejus *communione & potestate sumus per fidem, simus ejus κληρονομία hæreditas*, Psal. II. 8. Hebr. I. 3. הֵן אֵם *populus ejus peculiaris* Exod. XIX. 5. Tit. II. 14. Adeò ut non servi duntaxat simus, nexu & mancipio ipsi ad facienda imperata obnoxii & dediti, uti bello capti vel ære empti esse solent, sed etiam ejus *semen* Esaj. LIII. 10. res, peculium & hæreditas, quam sine alienatione habere, possidere, in qua tanquam *dives & magnificus Dominus condecorari & glorifi-*

glorificari debet. Perinde uti Reges iis rebus, quas in scriniis & apothecis suis, tanquam præ cæteris sibi charas eximiâsque reposerunt, splendidi magnificique esse solent. *Christus est Rex regens nos, & unicus Dominus noster spoliato antiquo hoste singulari dominio suo asciscens nos, idem, qui supra, S. Augustinus loquitur. Dominatur sanè Christus etiam in medio inimicorum suorum, Psal. CX.2. At inimici ejus dominium non agnoscunt, sed respuunt. Quorum autem Dominus hîc Christus dicitur, illi dominium ejus tanquam competens agnoscunt, ac proin Jesum Christum Dominum suum confitentur. Et si dicuntur alii Domini, concessa, non ingenta potestate dicuntur, inquit Rufinus.*

**XXIV.** Filium Dei esse Jesum, Salvatorem & Dominum nostrum, in universum Symbolum confiterur. Quomodo autem Salvator & Dominus noster factus sit, deinceps prosequitur explicatiùs. Filius nempe unicus, qui in forma Dei fuit, rapinam non duxit, similem esse Deo, sed se ipsum exinanivit, forma servi accepta, Phil. II. 8. 9. Humilitas igitur Filii lapsis via fuit redeundi ad Deum. *Non enim redire possumus ad Deum, nisi humilitate, qui superbia lapsi sumus, inquit S. Augustinus loc. cit. Qui mediator esse voluit inter Deum & homines peccato disjunctos, & Filius Dei, omnipotensque adeò esse debuit, & homo, qui in carne sua peccatum, diffidii causam condemnare posset. Mysterium hoc sequentibus articulis exponitur. Et primum quidem humiliationis hujus gradum, incarnationem Christi, sic articulo Symboli Tertio confitemur: QUI CONCEPTUS EST DE SPIRITU S. NATUS EX MARIA VIRGINE. Ut nasci homo & fieri caro Filius Dei posset, concipi debuit non ex voluntate viri, quia quod ex carne nascitur, caro est, Joh. III. 6. caro & sanguis autem Regni Dei hæreditatem adire, nedum aliis eam procurare nequit, I. Cor. XV. 50. sed de Spiritu S. Nam qui in utero virginis concipi debuit, Deus fuit. Deus autem, ceu ignis consumens, nullam recipere immunditiam potuit. Et quia venit Deus nostram, id est, humanam naturam purificaturus, ipsum ab omni nativa labe exemptum, separatum à peccatoribus Hebr. VII. 26. esse oportuit, ut unicâ eaque illibatâ hostiâ oblata peccata omnium, qui salvantur, tolleret. Naturam igitur humanam Christi formare, à peccatoribus segregare, sanctificare tanquam hostiam futuram ἀμωμον, labis omnis expertem, denique cum λόγῳ in unitate personæ ἀχωείσως, ἀτρέπτως, ἀυγχύτως unire, id verò non hominis,*

Christus  
quomodo  
Salvator?

Articulus  
III. de con-  
ceptione &  
nativitate  
Christi.

D

sed

sed Spiritus DEI opus fuit. Igitur Angelus DEI his verbis B. Mariae mysterium hoc detexit: *Spiritus S. veniet super te* (caelitus in te descendet, magno molimine in te operabitur) & *virtus Altissimi inuocabit Te* (velut umbra, ala sua  $\gamma\omega\delta$  obteget, proteget Te, confer Psal. CXXXIX. 13.) *Ideo etiam quod nascitur Sanctum, vocabitur Filius DEI.* Luc. I. 35. Sic DEUS, qui omnia fecit, ipse ex Maria se fecit, & sic omnia, quae fecerat, se fecit, iterum cum S. Augustino loqui liceat. Qui verò ita de Spiritu S. conceptus est, etiam in plenitudine temporis, *natus est ex Maria Virgine.* Conceptus supra naturam, *natus secundum naturam, ex Maria Virgine*  $\epsilon\pi\kappa\lambda\eta\sigma\omega$ , ex tribu Judae prosapia Regia oriunda, ex ejus substantia, carne & visceribus, eaque *Virgine*, Esaj. VII. 14. Jerem. XXXI. 22. ut eò purior nativitas existeret, omnique suspitione labis careret; & ex Virgine quidem peccatrice, sed quae tamen in corpore suo haberet aliquod opus DEI, quod DEUS inde voluit separare, ut materiam fabricandi corporis Christi. Sic ergo sermo factus est caro, & inter nos habitavit, Joh. I. 14. *homo, filius hominis* Psal. VIII. 5. *frater salvandorum seu puerorum, qui ipsi dati sunt, ut illorum vindex & assertor fieret* Hebr. II. 11. 12. &c.

Finis incarnationis.

XXV. Debit Christus per conceptionem de Spiritu S. & nativitatem ex Maria virgine *per omnia fratribus assimilari, ut misericors & fidelis existeret Pontifex in iis quae ad Deum spectant, eis τὸ ἰλάσκεσθαι τὰς ἀμαρτίας ad propitiandum peccata populi*, Heb. II. 17. *utque subiectus legi, eos qui sub lege sunt, redimeret*, Gal. IV. 4. 5. Quia Pontifex autem noster, & Sacerdos fidelis justitiam legis agendo & patiando implevit, *amavit nos & tradidit se sacrificium boni odoris Deo*, Ephes. V. 2. Et quia  $\delta\iota\kappa\alpha\iota\omega\mu\alpha$  illud, justitia & obedientia illa Christi, ut Pontificis & Sponsoris nostri, consummari debuit per passionem, ad Deum sanctificandum, hoc est, ejus rectitudinem, odium peccati, & observationem exquisitissimam legis ostendendam: iccirco Symbolum articulo sequenti *Quarto* (praeterito reliquo vitae Christi curriculo, quia Symbolum non agit nisi de iis, quae proprie ad nostrae redemptionis substantiam attinent, circumstantias verò plurimas ommittit) Christi  $\pi\alpha\theta\eta\mu\alpha\tau\alpha$ , quae nostro loco sustinuit, hisce verbis complectitur: **PASSUS EST SUB PONTIO PILATO, CRUCIFIXUS, MORTUUS ET SEPULTUS, DESCENDIT AD INFERNAM, seu INFEROS.** Passiones praecipuas animi & corporis, praecedentium omnium actionum & passionum colo.

Articulus IV. de passionibus Christi.

colophonem, *וְאִישׁ מְאֹד מְאֹד* *Vir ille dolorum* (Esaj. LIII. 3.) susti-  
 nuit *sub Pontio Pilato*, Tiberii præfecto, tum quia non per tumul-  
 tum occidi, sed in iudicio ejus innocentia, cujus testimonium ipsi  
 Pilatus perhibuit, patefieri debuit, ut liqueret omnibus, justum  
 passum esse pro injustis, ut à iudicio eos liberaret: tum quia ad si-  
 gna temporis pertinebat, ut pateretur Christus tum, cum Judæa  
 esset facta pars ditionis gentium, obnoxia & tributaria magnæ illi  
 civitati, quæ imperium habebat in Reges terræ, & in qua, seu sub  
 cujus ditione Christus crucifigi debuit, Apoc. XI. 8. Unde ipse  
 Dominus in Evangelio non semel prædixerat, fore ut tradatur in  
 manus gentium, & ab his occidatur. Neque simpliciter sub Pon-  
 tio Pilato passus est Christus, sed *crucifixus & mortuus*. Non quale-  
 cunque genus mortis, sed tum acerbissimæ, ad demonstrationem  
 Divini erga peccatum odii: tum ignominiosæ in primis ac maledictæ  
 obeundum Christi fuit, quia à morte maledicta, à maledictione per  
 legem transgressoribus intentata liberare nos debuit Gal. III. 13. At  
 mors in ligno, crucis materie, maledicta fuit, quia scriptum est: *Ma-*  
*ledictus omnis, qui in ligno pender.* Et supplicium quidem crucis  
 prædictum præfiguratumque est Num. XXI. 9. Psal. XXI. 15. 18.  
 Esaj. LIII. 9. Ipse quoque Christus *ὑψώσεως exaltationis* vocabulo  
 illud Joh. III. 14. VIII. 28. XII. 32. 34. insinuavit. Sic author be-  
 nedictionis per crucem, acerbum & probrosum genus mortis,  
 in quo maledictionis effectus in primis conspicuus fuit, & ob quam  
 infideles, Lucianus in primis ille *Ἰουδαίος*, Christum tanquam τὸν  
*ἐν Παλαιστίνῃ ἀνασκολοπιθέντα* in *Palastina crucifixum* irriserunt; male-  
 dictionem sustulit, ut *promissionem Spiritus acciperemus per fidem*,  
 Gal. III. 14. Servile quoque Romanorum supplicium cum fuerit crux,  
 is, qui servi formam accepit, eodem supplicio affici, & peccati ser-  
 vitutem finire voluit. Crucifixus autem & mortuus Christus etiam  
*sepultus est*, quia tum intererat sic demonstrari, quòd verè mortuus  
 fuerit: tum juxta legem Deut. XXI. 25. sepultura suspensi abolitæ  
 maledictionis signum fuit: tum Christus sepultus *κατέπαυσεν ἄπο τῶν  
 ἔργων αὐτῶν quiescit ab operibus suis*, Hebr. IV. 10. Sed & sepulturâ  
 suâ mortem in ultimo quasi crucis suæ angulo & asylo persequi, il-  
 lam inde deturbare, & sepulchra nostra sanctificare voluit.

Passus est  
 sub Pontio  
 Pilato.

Crucifixus  
 & mortuus.

Sepultus.

XXVI. Verba quæ sequuntur: *Descendit ad inferna*, vel *in-*  
*feros*, in Symbolo veteri Romano & Orientali non comparuisse, su-  
 perius testem Rufinum, & Usserianos Codices citavimus. Sed &

Descendit  
 ad inferos.

**S. Patres & Concilia veteres, Confessiones imprimis veteres plus**  
 quam sexaginta, quæ in recensione fidei & Symboli, descensus ad  
 inferos mentionem omnino nullam fecerunt, magno numero Par-  
 kerus *de Descensu ad inferos lib. IV. fs. 25.* recitat. Cujus etiam, ut  
 & Doctis. Lavateri idem argumentum tractantis, conjecturis saga-  
 cissimis effectum est, ut nemo emundiorum paulò narium amplius  
 dubitet, quin verba illa ex Symbolo Athanasiano margini Niceni  
 adscripta, (uti Codex Biblicus Caroli M. Bibliothecæ nostræ Ca-  
 rolinæ illatus, ejus rei testis à Cl. etiam Lavatero *pag. 559.* inducitur)  
 in ipsius primo Niceni, ac inde etiam in Apostolici Symboli textum  
 irrepperint. Quæ tantò etiam æquius tolerantur, quantò in hac etiam  
*συνηθεία* seu connexionem sensum concinniorum fundunt. ut non sine  
 Numine, serò licet (haud tamen demum per Thomam Aquina-  
 tem, uti Erasmus in Catachesi sua perperam statuit,) Symbolum  
 verborum illorum accessione creverit. Equidem Christus in sepul-  
 tura sua verè etiam descendit ad inferos, cum *infernus* Hebræis *הַאֲדָמָה*  
 Græcis *ἀδύτος*, quasi *ἀδύτος τόπος obscurus locus* dicti, propriè & *κελεύς*  
 sepulchrum significant, uti duo illi viri doctissimi supra laudati cer-  
 tissimis argumentis probârunt. At tamen ex usu proprio Scripturæ  
 descensus ad inferos plus etiam significat, quam sepulturam, cum  
*sepultura* actum sepeliendi, seu funerationem, *descensus ad inferos*  
 statum, seu triduanam perseverationem status illius sub dominio  
 mortis, quo à morte absorptus ille videri poterat, adeò ut trium-  
 phi cujusdam de Christo victo, subactòque simulachrum exhibuerit,  
 denotet. Petrus certè Act. II. 31. verba Psal. XVI. 10. *Non derelin-*  
*ques animam meam. הַאֲדָמָה* *eis* *ἀδύτος* *in inferno*, tum implera inter-  
 pretatur, cum Christus ex mortuis resurrexit. Unde statum il-  
 lum, qui resurrectionem proximè antecessit, adeòque triduanam  
 in sepulchro commorationem, esse illam *κατάβασις* *eis* *ἀδύτος* *descen-*  
*sum ad infernum*, *κελεύς* doctissimi quique colligunt. Opponitur-  
 que illi, tanquam supremo humiliationis gradui, *sessio ad dextram*  
*Dei*, supremus videlicet exaltationis gradus. Atque sensum hunc,  
 quem etiam S. Patribus non paucis placuisse, Parkerus *Lib. IV. fs. 37.*  
 comprobat, non obscure etiam Catechismus noster *Dialog. 50.* am-  
 plectitur. Sic autem descensus ad inferos propriè statum illum tri-  
 duanæ in sepulchro moræ significat, ut nihil tamen obstet, quò mi-  
 nus *analogicè* & similitudine quadam, qua infernus etiam locum  
 damnatorum significat, etiam *הַאֲדָמָה* *הַאֲדָמָה* *dolores inferni* (2. Sam  
 XXII. 6.

XXII.6. Psal. XVIII. 6.) horribiles & infernales cruciatus & angores, quos Christus in anima loco nostro sustinuit, quando videlicet super ipsum transiverunt  $\text{וַיִּתֵּן אֱלֹהִים יְהוָה אֶת הַיָּדָאֵם בְּפִי הַיָּמִין}$  ira Dei, &  $\text{וַיִּתֵּן אֱלֹהִים יְהוָה אֶת הַיָּדָאֵם בְּפִי הַיָּמִין}$  phobesimoi terrores ejus illum succiderunt, Psal. LXXXVIII. 17. insinuentur. ad quos Heidelbergensis Catechismus *quest.* 44. respexisse videtur; non quod post sepulturam illos sustinuerit, cum moriturus Salvator exclamaverit:  $\text{πέπλεσται consummatum est}$ ; sed quod illos tulerit in vita, post coenam & in cruce Matth. XXVI. 37. 38. Luc. XXII. 44. Qui etiam metaphoricus Christi ad inferos descensus tenebris Matth. XXVII. 45. Luc. XXIII. 45. representatus est.

XXVII. Non potuit Christus  $\text{κατέλιπεν}$  detineri in morte, *Exaltatio Christi.*  
 $\text{παντοκράτωρ}$  omnipotens ipse: non Sanctus videre corruptionem, Act. II. 24. 27. Quin potius morte sua abolere debuit  $\text{τὸν τὸ κατὰ τὸν ἔχοντα}$  &  $\text{θανάτου}$ , cum, qui mortis potestatem habuit, Diabolum, Hebr. II. 14. Eo abolito, victo, subjugatoque, peccato maledictioneque expiata, reconciliato patre, ceu justo iudice, praestita perfecta justitia & obedientia legis, post tolerata  $\text{παθήματα}$  successerunt  $\text{δόξαι}$  gloriae  
I. Pet. I. 11. *Si credidisti de Christo, quod dedecoris est, crede quod gloria est. Si credidisti, quod mortis est, crede quod vita est. Sicut in passione mysterium pietatis est, sic in resurrectione operatio potestatis,* inquit S. Augustinus *Serm.* 181:7. Sicut autem humiliatio Christi per gradus descendit, sic glorificatio & exaltatio per gradus ascendit. Primus enim gloriae gradus est resurrectio, de qua sic articulus Symboli *Quintus* sonat: *Articulus V. de resurrectione Christi.*  
TERTIA DIE RESURREXIT A MORTUIS. Non resurrexit mox illatus in sepulchrum, ne non mortuus verè videretur: sed tertia à morte die Parasceves nempe vespera sepulchro illatus, in eo quievit integro die Sabbathi, & circa auroram diei solis ex mortuis resurrexit, historia teste. Sic igitur *Filius hominis in corde terra fuit τρεῖς ἡμέρας καὶ τρεῖς νύκτας, tres dies & tres noctes,* Matth. XII. 40. hoc est, *τρία νύκτα ἡμέρας,* per Synecdochen parte pro toto computata. Ut necessum non sit cum Doctissimo cætera viro, Wilhelmo Langio, libris *de Annis Christi* à communi sententia facere divortium, & passionem Christi in diem Jovis, non Veneris transferre. Sed de eo quicquid sit, certè  $\text{τρίτη ἡμέρα}$  tertio die (Matth. XVI. 21. XX. 17.) *ex mortuis resurrexit*, hoc est, carnem mortuam potestate sua propria & Divina Joh. X. 18.  $\text{πνεύματι ἁγιασμένης}$  Spiritu Sanctificationis, Rom. I. 4. I. Pet. III. 18. resumpsit. Eandem carnem, quæ mortua est, non aliam sumpsit, quia *resurrectionis vocabulum non aliam*

rem vindicat, quàm quæ occidit. Resurgere enim non est nisi ejus, quod occidit; uti Tertullianus de resurr. carnis loquitur. Assumptum autem ex angustiis & judicio Esaj. LIII. 8. adeoque verè resurrexisse ex mortuis Christum, liquet, tum quia id secundum typos, trium imprimis Virorum Isaci Patriarchæ, Ezechia Regis & Jonæ Prophetæ; nec non Sacerdotis in Sanctum Sanctorum quotannis semel ingredientis, variasque & illustres prædictiones Psal. XVI. 10. Esaj. LIII. 10. 11. LV. 3. Psal. XXII. 10. 21. &c. Tzephan, III. 7. ab Apostolis prædicatum est, neque id falsò prædicari potuit, quia ita prædicatum iri Deus prædixerat, & Sathanas veritatem verbi Dei ad gloriam ejus, ut omnes Deum ament, & Sathanæ bellum indicant, fingere non potuit: tum quia custodes corporis Christi, postquam jam resurrectio prædicari cœpit, illud exhibere non potuerunt; neque tamen perinde, uti custodes illi Petri Act. XII. 19. puniti sunt: tum quia testes & plurimi, & ex utroque sexu, qui colludere non potuerunt, ipsaque crebra apparitio Christi, & consecuta mox effusio Spiritus S. omniæque Christi resuscitati, quæ in Ecclesia geri debuerunt, abundè id ipsum testantur. Excitatusque adeò ex mortuis est *Ἀπὸ τὴν δικαίωσιν ἡμῶν propter justificationem nostram*, Rom. IV. 25. ut videlicet tum justitiam ab ipso acquisitam liqueret, tum ejusdem justitiæ participes nos reddere posset, tum ipsa illa excitatio veluti quædam vox Dei Patris judicis (cui propterea etiam resuscitatio Christi tribuitur) testis esset, justos esse, quotquot in Christo sunt per fidem, neque esse quicquam ampliùs, quod filialem erga Patrem fiduciam prohibere possit. Taceo, quòd eadem illa resurrectio Christi capitis fidem faciat & vivificationis gloriosæ corporis omnium membrorum ejus.

Articulus  
VI. de ascensione  
Christi in  
Cœlum.

XXVIII. Alter gradus gloriæ Christi est ejus in Cœlum ascensio, & sessio ad dextram DEI, de qua sic articulus *Sextus*: ASCENDIT AD COELOS. SEDET AD DEXTRAM DEI PATRIS OMNIPOTENTIS. Ille qui descendit *εἰς τὰ κατώτερα μέρη τῆς γῆς in inferiores terræ partes* (ex Cœlo in terram, neq; in terram, tantum, sed in *תחתית* Psal. CXXXIX. 15. *κατώτερα μέρη inferiores ejus partes*, sepulchrum, ubi est *ἸΑΩ* & *ἄδης infernus*, oppositus τῷ *ὄρει ὕψει*, altitudini seu *ἀνωτέροις superioribus* partibus terræ viventium) ipse est, qui etiam ascendit longè supra Cœlum, Ephes. IV. 8. 9. ex Psal. LXVIII. 19. Si enim mansisset in terra, Sacerdos noster non fuisset, adeoque, uti olim Pontifex cum sanguine Sanctum Sanctorum, quod erat *ὑπόδηγμα & σκιά*



οὐκ ἐπερὶ τῶν *exemplar & umbra caelestium* ingressus est: Sic Christus cum corporis sui victima caeleste sanctuarium ingredi debuit, ἀχειροποίητον Hebr. IV. 10. VIII. 4. 5. Igitur benedicendo discipulis aspectantibus iis, διέση ἀπ' αὐτῶν ab illis disjunctus est, ἐπὶ ῥῆθι ablatus, ἀνελήθη sublatu est in Caelum, & quidem ἐν νεφέλῃ in nube, quæ ipsi id præstitit, quod currus igneus, & equus igneus Eliæ, Marc. XVI. 19. Luc. XXIV. 50. 51. Act. I. 9. Ascendit autem in Caelum, non inferius hoc, quod caput nostrum cingit, sed Caelum Cælorum, quod Paulo tertium dicitur 2. Cor. XII. 2. quod thronus DEI est Esaj. LXVI. 1. in quo est Pater noster, Math. VI. 9. τόπος καὶ μονὴ locus & mansio distincta Joh. XIV. 2. Transiit enim Cælos, puta primum, in quo aër est, & secundum, in quo sunt stellæ, Sol & sidera, Hebr. IV. 14. factus ὑψιλώτερος τῶν ἑρηνῶν altior Cælis, Hebr. VII: 26. Dominus ascendit in Caelum: non ubi verbum DEI prius non fuerat, quippe quod erat semper in Cælis, & manebat in Patre: sed ubi verbum caro factum non sedebat, inquit Rufinus in Expositione Symboli. Et S. Augustinus Serm. 181: 7. Ascendit in Cælos, id est, conditionem nature nostre, quam ex homine matre natus assumpsit, super Cælos in dextra DEI Patris collocavit. Ascensionis hujus præcesserunt typi, Elias & Enochus: prædictiones clarissimæ, Psal. LXXIX. 19. Prov. XXX. 4. Amos. IX. 6. Psa. XLV. 5. Joh. III. 11. VII. 33. XVI. 7. 28. Sed & veritati historię testimonium irrefragabile præbent Apostoli, testes oculati, numero plurimi, extra omnem suspicionem fraudis positi, utpote qui ex testimonio illo apud homines non aliud lucrum, quàm odium implacabile & dira supplicia retulerunt: missus de Cælo Spiritus S. à Christo ante promissus: omnis denique Christiana religio præbet. Ut verò ascenderet in Caelum, & illud ingrederetur, par omnino fuit, quia Dominus è Cælo, Cælo excludi non potuit, sed in gloriam intrare debuit Luc. XXIV. 26. Qui justitiam omnem implevit, Matth. III. 15. etiam justitiæ coronam in Cælo accipere 2. Tim. IV. 8. qui se ipsum exinanivit, forma servi accepta, à Deo exaltari debuit, ut gratificari ei Deus posset nomen super omne nomen Phil. II. 7. 9. 10. Et nisi Cælum intrasset, membra ejus consummari, cum Cælestibus recapitulari, πάλιν suum, & spem vivam Christi pro iis intercedentis in Cælis habere, denique ὁδὸν ῥεσφατον καὶ ζωσων recentem & viventem in Cælum aditum, habere non possent.

Ascensionis  
veritas.

Causa.

XXIX.

Sessio ad  
dextram  
Dei.

XXIX. Inprimis autem in Cœlum Christus ascendit, ut ibi thronum gloriæ occuparet. Nam ascendens in Cœlum SEDIT AD DEXTRAM DEI PATRIS OMNIPOTENTIS. Id passim S. Scriptura testatur, veluti Marc. XVI. 19. Ephes. I. 20. Coloss. III. 1. Sumpra autem phrasia est ex Psal. CX. 1. *Dixit Jehova Domino meo, ישיב לימיניו sedē ad dextram meam, donec ponam inimicos meos scabellum pedibus tuis.* Dextra locum dextrum notat, sinistro apud omnes gentes (si à Turcis, quorum barbaram diversi moris rationem Busbequius in Epistolis reddit, discesseris) honoratiorem, quia dextram fortiorem, mobiliorem, calidiorē, ad omnia expeditiorem natura fecit. De quo adversus Geropium Becanum aliter sentientem scitissimè Doctiss. Lipsius *Elector. lib. II. 2.* disputat. Dextra igitur alicubi, veluti Esaj. LII. 8. Act. II. 33. potentia: hic & potentia & honoris nomen est, adeoque triplicis muneris Christi in Cœlo summa cum potentia & honore executionem notat. Nam sedens ad dextram Dei, quā *Propheta* Ecclesiæ donat Spiritum, dona distribuit Ephes. IV. 10. 11. quā *Sacerdos* victimam ante faciem Patris representat, & pro nobis interpellat, Hebr. IX. 24. Rom. VIII. 34. quā *Rex* tanquam caput & Dominus Ecclesiæ eam Spiritu & verbo regit, tuetur, omnia pedibus suis subjicit, expectans, donec inimici ejus scabellum pedum ejus ponantur, Psal. CX. 1. Eph. I. 20. 22. Heb. X. 12. 13. Apud Orientales sessionem ad dextram Regis, honorem vel secundum ab honore Regis, vel eidem æqualem designare, ex Ps. XLV. 10. 1. Reg. II. 19. 3. Esdr. IV. 29. Matth. XX. 21. liquet. Hic autem honorem Christi æqualem honori Patris indigetari, satis constat, quia per exaltationem debuit *ἰσοθεῶν* paria cum Deo facere, Phil. II. 7. & glorificari ea gloria, quam apud Patrem habuit, antequam mundus esset, Joh. XVII. 5. Qui ascendit, venit ex Cœlo, Joh. III. 13. VI. 62. VIII. 23. Deus & Dominus est, qui populum ex Ægypto eduxit, Psal. LXVIII. 8. 12. 19. ejusdem igitur cum Patre sicut naturæ, ita Majestatis & potestatis. Is igitur sedens ad dextram (quietis, triumphis, potestatis judiciariæ, imperii Symbolum est *Sessio*: quam etiam *stans* ad dextram Dei, ut ejus in judicando & protegendo præsentia & promptitudo indigetetur, Act. VII. 56. inducitur) Patris omnipotentis figurata locutione Regnum occupavit, factus *Dominus noster*, in throno Dei consedit dominaturus, Zach. VI. 13. potestatem omnem in Cœlo & terra accepit, Matth. XXVIII. 18. non tantum ut Filius, sed etiam ut Mediator Testamenti & Dominus.

Unde

Unde consequitur, ut ad dextram Dei Patris sedens, Ecclesiae ut *ἰλαστήριον*, propitiatorium, caput implens Spiritu & donis corpus suum, propositus nomen acciperet super omne nomen, ut in nomine eius omne genu caelestium, terrestrium & subterrestrium se flectat, Phil. II. 10. 11. & Ecclesiam verbo & Spiritu regeret, & adversus omnes hostes potentissimè protegeret, *fortior ad eam protegendum, quam Sathanas ad eam oppugnandum*. Et utrique etiam naturae humanae & Divinae Sessio illa convenit. Illi proprie & reapse gloria hæc data est: huic quoad *Φανέρωσιν* *manifestationem* duntaxat. Illi gloria quidem summa, *supra omnem principatum*, Ephel. I. 20. Joh. V. 27. finita tamen: huic verò simpliciter infinita competit.

XXX. Christum in Cælo, ceu Regio throno suo, secundum carnem scilicet, mansurum ad tempora usque restitutionis omnium, S. Petrus Act. III. 21. asserit. Circa illud tempus rediturum articulus *Septimus* profiteretur his verbis: INDE VENTURUS JUDICARE VIVOS ET MORTUOS. Secundus hinc erit Christi in terram adventus, non amplius humilis, sed gloriosus, non ut judicetur ipse, sed ut judicet iudices suos, & impios omnes, destruâtque adeò & corrumpat eos, qui corruerunt terram, Apoc. XI. 18. Prædictum de ipso Psal. CX. 2. fore, ut sedeat ad dextram Dei, donec Deus Pater ponat inimicos scabellum pedum ejus. Inter hostes regnantis, sedentis ad dextram Dei Christi, ultimus mors est. Vivificari igitur aliquando mortui, judicari ac puniri hostes, & justitia ac injustitia manifestari debent. Quòd enim in hac vita *non statim in peccatores Deus vindicat, patientia est, non negligentia. Non ille potentiam perdidit sed nos ad pœnitentiam reservavit*, inquit S. Augustinus. *Serm. 181. cap. 8.* Tum verò liquidò judicabit. Judicium illud quoad *consummationem & executionem visibilem* (nam de cœtero commune erit personis omnibus) erit Christi Act. X. 42. XVII. 31. cui potestatem faciendi iudicium dedit Pater, *ὅτι υἱὸς ἀνθρώπου ἐστὶ*, quia filius hominis est, Joh. V. 27. non quòd tantum secundum humanam naturam iudex futurus sit (judicabit enim etiam quâ Deus, cœlesti authoritate, imperio, sapientia) sed quia non sine natura humana (cujus in nubibus, velut in tribunali, visibilis erit Majestas) quippe *sermo caro factus*, filius Dei factus filius hominis, iudicium exercebit. *Inde venturus*, hoc est, reversurus, quemadmodum visus est abire in Cœlum, Act. I. 11 *revelandus è Cœlo cum Angelis potentia sua*, 2. Thess I. 7. è Cœlo descensurus *cum celestiate & voce Archangeli*, 1. Thess IV. 16. Judicabit

Articulus VII. de reditu Christi ad iudicium.

Iudex erit, quia filius hominis.

E autem

autem vivos & mortuos, quippe *ὡρισμένος ὑπὸ τοῦ Θεοῦ κριτὴς ζώντων καὶ νεκρῶν* definitus à Deo iudex viventium & mortuorum, Act. X. 42. vivorum scilicet, quos dies ille adhuc viventes in Seculo hoc deprehendet, 1. Cor. XV. 22. 51. 1. Thess. IV. 15. mortuorum verò, eorum, quos inde ab initio mortuos vivificabit Christus, & ad solennissima hæc comitia coget: & ex utroque ordine, tum bonorum, tum malorum, quia *omnes nos coram tribunalis Christi manifestari oportet*, 1. Cor. V. 10. quorum singulorum etiam causæ & actus, seu boni seu mali producentur, Eccles. XII. 14. Quod non tam de publico examine, quàm de conscientia luce, & perniciosissimo mentis, se ipsam excusantis vel accusantis volatu intelligendum. Et producentur etiam piorum peccata, quorum mentio non tam pudorem patratorem illis incutiet, quàm remissorum lætitia incredibile illos perfunder. Apertis prædestinationis, providentiæ, Scripturæ legem & Evangelium complexæ, conscientia denique libris, ex iis palam & sonore iudicium feretur, & rependerur cuique *secundum opera* Rom. II. 6. quia in visibili iudicio visibilia testimonia, de interna fide testificantia, requiruntur. Cùm *sciamus* igitur *τὸν φόβον τοῦ Θεοῦ* *timorem Domini* 2. Cor. V. 11. *quantos nos existere oportet in sancta conversatione, & pietate*, 2. Pet. III. 11?

Summa salutis in solo Christo comprehenditur.

XXXI. Sic totam salutis nostræ summam, & singulas etiam ejus partes in Christo comprehensas videmus. Cavendum igitur nobis, ne vel minimam portiunculam aliò derivemus. Nostra hic facimus insignia illa Calvinii, quæ *Instit. II. 16.* extant: *Si salus queritur, ipso nomine Jesu docemur, penes eum esse: si Spiritus alia qualibet dona, in ejus unctione reperientur: si fortitudo, in ejus dominio: si puritas, in ejus conceptione: si indulgentia, in ejus nativitate se profert, quæ factus est nobis per omnia similis, ut condolere disceret: Si redemptio, in ejus passione: si absolutio, in ejus damnatione: si maledictionis remissio, in ejus cruce: si satisfactio, in ejus sacrificio: si purgatio, in ejus sanguine: si reconciliatio, in descensu ad inferos: si mortificatio carnis, in ejus sepulchro: si vita novitas, in ejus resurrectione: si immortalitas, in eadem: si hereditas Regni cœlestis, in Cœli ingressu: si presidium, si securitas, si bonorum omnium copia & facultas, in ejus Regno: si securus iudicii expectatio, in potestate judicandi illi tradita. Denique in ipso thesauri omne genus bonorum quum sint, inde ad satietatem hauriantur, non aliunde. Quorum omnium ἀνακεφαλαιώσις est in verbis S. Petri, Apostolorum omnium nomine ad Christum factis: *Domine,**

mine, ad quem abibimus? verba vite aeterna habes. Et nos credidimus,  
& agnovimus, quod Tu sis Christus, Filius DEI illius viventis, Joh. VI.  
68.69.

XXXII. Restat Symboli pars tertia, eaque postrema, de Articulus VIII. de Spiritu S.  
tertia SS. Trinitatis persona, ejusque in negotio salutis Oecono-  
mia. De qua in universum sic articulo Octavo confitemur. CRE-  
DO IN SPIRITUM SANCTUM. Sicut in Patrem & Filium: ita  
etiam in Spiritum S. credere nos profiteamur. Nam qui (ita iterum  
S. Augustinus Serm. 181. 11.) in unam de Trinitate personam non cre-  
diderit, in duabus illis credidisse illi non proderit. Fides namque catholica  
haec est, ut unum DEUM in Trinitate, & Trinitatem in unitate veneremur,  
credamus, colamus & confiteamur. Sed & fidem in DEUM Patrem  
& Filium vel ideo sequitur fides in Spiritum S. quia per ipsum Di-  
vinæ salutis in Filio completæ fructus obsignatur, sanctificatioque  
& ablutio nostra per illum nobis confertur. Unâ cum Patre & Fi- Deus est.  
lio Deum esse liquet, quia יהוה Jehova dicitur Esaj. VI. 9. coll. cum  
Act. XXVIII. 25. & Θεός Deus Act. V. 3. 4. Neque Spiritus S. potest  
esse non DEUS, qui in DEO est, & videt omnia, quæ in ipso sunt, &  
quidem tanquam ἐρευνῶν τὰ βάθη τοῦ Θεοῦ scrutans profunditates DEI,  
I. Cor. II. 10. Omniscius est, quia dux est in omnem veritatem Joh.  
XVI. 13. Aternus, quia Spiritus DEI est, & Spiritus, ut DEUS,  
qui Spiritus æternus est, Joh. IV. 24. Heb. IX. 14. & in principio crea-  
tionis extitit, Genes. I. 2. Omnipotens, quia Spiritus potentie, qui habet  
potentiam, & per eam agit, Rom. XV. 13. 19. Ephes. III. 16. I.  
Thess. I. 5. & omnipotentiam opere creationis, Genes. I. 2. Job.  
XXVI. 3. XXXIII. 4. & resurrectionis ex mortuis Rom. VIII. 11. exe-  
ruit. Taceo plurima. A DEO Patre & Filio distinctum ὑψιστάμενον esse Persona est.  
constat, quia vocatur ἀλλοῦ & ἄλλοκλητῶν alius Paraclitus Joh. XIV.  
16. diciturque adeò passim mitti, operari omnia, distribuere dona,  
testari tanquam testis tertius à Patre & Filio distinctus, honorari,  
blasphemari, &c. Non tantum Spiritum vocat Symbolum, sed Spi-  
ritum Sanctum, hoc est, ab omni vilitate & impuritate segregatum, sanctus est.  
& ab eadem segregantem. Unde S. Paulus I. Cor. VI. 11. ἡγια-  
σθητε ἐν τῷ πνεύματι τοῦ Θεοῦ ὑμῶν, sanctificati estis per Spiritum DEI  
vestri. Sanctificat etiam Pater, sed per sanguinem Jesu Christi, &  
eandem in nos sanctificationem per Spiritum S. transfundit. Hoc  
enim in oeconomia salutis præcipuum, quod iis, quos Christus re-  
demit, Patris & Christi Spiritus dono datur tanquam sigillum, quo  
illi

Alii tanquam res & peculium DEI notantur, signantur, obsignantur: tanquam *arrhabo*, quo certi securique redduntur, quod sint res à DEO empta, peculium & hæreditas propria, adeoque ius sperandi vitam æternam accipiunt: tanquam *Paracletus*, qui pro iisdem allegato Christi merito jugiter intercedit, & suavissimis consolationum *θελημαίσις* eosdem demulcet. Expressissima de eo testimonia sunt 2. Cor. I. 22. 23. Rom. VIII. 16. 17. &c. Denique iis, quibus à Christo donatur, maxima bona, fidem imprimis, per quam participes Christi & beneficiorum ejus fiunt, poenitentiam & novitatem vitæ: in iis, quæ sunt *ἀπεσοδόκητα* & inextricabilia, *εὐβελία*, animi fortitudinem, & par corporis robur, ingruentes tempestates præsentissima *ἐπικρίαις*, protectione & gubernatione sua mitigans, & ne lapsi conteramur, manum supponens; ea quoque beneficia, quæ deinceps sigillatim Symbolum prosequitur, peculiari ratione, liberaliterque confirmat.

Articulus  
IX. de Ec-  
clesia.

XXXIII. Igitur sequenti articulo *Nono* Confessor Christi sic profiteretur: SANCTAM ECCLESIAM CATHOLICAM, SANCTORUM COMMUNIONEM. Spiritus S. non tantum à mundo, impuritate mundi nos segregat, sed etiam per fidem Christo, per charitatem Christi membris aggregat. *Ἐν ἐνὶ πνεύματι ἡμεῖς ὅλοι ἐσμὲν ἓν σῶμα*, *ἐν ᾧ ἅμεις ὅλοι ἐσμὲν ἓν σῶμα*, I. Cor. XII. 13. Sic igitur Spiritus S. Christi membra coalescere facit in unum corpus, quod Ecclesia est. Absque hoc esset, frustra mysterium Patris & Filii ac unctionis ejus revelatum esset: neque Christus vel Propheeta, vel Sacerdos vel Rex esse potuisset sine populo, cui voluntatem Patris exponeret, pro quo se offerret, cui tanquam peculio suo dominaretur. Necessum igitur fuit, esse *Ecclesiam*, *ἡπίρ ἐκκλησίαν*, concionem seu cœtum populi fidelis ex mundo per verbi DEI tubam, & Spiritus S. potentem tractum ad Filii DEI communionem evocatum, unde etiam *κλησίς* & *κλητοὶ* *vocatio* & *vocati*. I. Cor. I. 26. 24. *πανήγυρις* *multitudo* seu *congregatio universalis* Heb. XII. 23. *Ecclesia DEI vivi*, I. Tim. III. 15. adeoque populus DEUM *vivum*, verum, non *λεγόμενον* *nominatum* aliquem Regem habens, dicitur. Hanc nos Ecclesiam esse credimus, non in hanc credimus. *Credimus Ecclesiam* (ita Paschasius *de Spiritu S. lib. I. 1.*) *quasi regenerationis matrem*: non *in Ecclesiam* credimus, *quasi salutis authorem*. *Qui in Ecclesiam credit, in hominem credit*. Non enim homo ex Ecclesia, sed *Ecclesia cœpit esse ex homine*. *Recede itaque ex hac blasphemie persuasione,*

*suasione, ut in aliquam humanam te aestimes debere credere creaturam,*  
*cum omnino nec in Angelum, nec in Archangelum sit credendum.* Si-  
 milia habent S. Augustinus, Rufinus, Leo Papa, alii. Ecclesiam hanc  
 credimus esse *Sanctam*, hoc est, sanctificatam per DEUM Patrem Sancta ca  
est,  
 in sanguine Filii, & dono Spiritus S. Omnem igitur sanctitatem,  
 per quam coram DEO est sine macula & ruga, habet ex singulari  
 illa gratia & amore, quo DEUS illam diligit in Christo; adeoque  
 in Christo, in quo iustitiam DEI hiber, Phil. III. 9. per Spiritum S.  
 corde fide purificantem, Act. XV. 9. Hinc adeo Ecclesia vocatur ἁγία  
 ἕθνος *gens sancta*, 1. Pet. II. 9. πόλις ἁγία *urbs sancta*, Apoc. XI. 2. quæ  
 tota est illud ἁγία ἑθνη *Sanctum Sanctorum*, Dan. IX. 24. Ezech.  
 XLIII. 12. typico illi respondens. Sed & Ecclesiam Sanctam *Catho-* Et Catholi-  
ca,  
*licam* profiteamur, quæ vox ἁγία licet, ὀρθόδοξος tamen est, con-  
 veniens cum S. Scriptura, in qua ἡ μία *una* dicitur esse columba Chri-  
 sti Cant. VI. 8. & ejus μία πίστις *una fides* Ephes. IV. 5. eumque adeo quo sensu?  
 sensum habens, quod Ecclesia sancta, quam profiteamur, non sit *angu-*  
*laris, & temporaria*, ad angulum, vel tempus certum restricta; uni  
 loco populove affixa, uni genti elocata, ac velut in servitutem tradi-  
 ta: quia, *si Ecclesiam per totum orbem diffusam non habet Christus,*  
*aut si in Sardinia tantum habet, nimis pauper factus est,* uti scitè Hie-  
 ronymus *Dialogo adversus Lucif.* loquitur; vel *mundana aliqua po-*  
*puli terrestris congregatio*, utpote quæ non potest esse vel exten-  
 sa per totum mundum, vel sparsa per omnes terras, sed in cer-  
 to quodam terræ climate congregata ab uno, paucis, vel multis ho-  
 minibus se regi patitur, & pro Dei nutu ortum & occasum tem-  
 porarium habet; sed quod sit *una & universalis*, ex universo ge-  
 nere humano per totum terrarum orbem, sub diversissimis imperiis  
 sparsa, collecta, soli Deo legislatori & Christo capiti affixa, idem  
 ex Dei verbo scripto omni tempore tenens fundamentum fidei, im-  
 pietati omni & concupiscentiis renuntians, adeoque uni capiti Je-  
 su Christo Spiritus S. vinculo sic unita, ut per Christum vivificatæ  
 unus sit Deus, una fides, unum baptisma, eadem spes vocationis, Eph.  
 IV. 4. talisque sine ulla ἐπεροδιδασκαλία, hæresi, schismate (quibus  
 attaminati ubicunque etiam sint, extra ejus gremium cubant) ma-  
 neat usque ad consummationem Seculi. Olim quidem cum in va- Origo no-  
minis,  
 riis locis hæretici exorirentur, *secundum proprias concupiscentias sibi*  
*ἑπισηρέοντες διδασκαλίας doctores coaceruantes*, ab illorum nominibus  
 se discernentes, Orthodoxi ad doctrinam ab Apostolis acceptam, &

ubique terrarum prædicatam provocantes, sibi *Catholicorum* nomen circumposuerunt, eoque se ab hæreticis distinxerunt. Ita ut *Catholicus* illis idem quod *Orthodoxus*, rectè de unica omnium Sanctorum fide salutari ex Dei verbo tradita & prædicata, sentiens, fuerit. *Catholicam* (ita S. Augustinus *Serm.* 181. 12. vocem hanc explicans) dicit toto orbe diffusam, quia diversorum hæreticorum Ecclesia ideo *Catholica* non dicuntur, quia per loca, atque per suas quasque Provincias continentur. Hæc verò à Solis ortu usque ad occasum unius fidei splendore diffunditur. Nullæ sunt majores divitiæ, nulli thesauri, nulli honores, nulla hujus mundi major substantia, quàm est *Catholica* fides, quæ peccatores homines salvat, cæcos illuminat, infirmos curat, catechumenos baptizat, fideles justificat, pœnitentes reparat, justos coaugmentat, martyres coronat, clericos ordinat, Sacerdotes consecrat, regnis cœlestibus preparat, & in æterna hereditate cum Angelis sanctis communicat. Quisquis ille est, & qualiscunque ille est, Christianus non est, qui in Ecclesia Christi non est. Vincentius quoque Lirinensis contra Her. cap. 3. sic non malè *Catholicum* definivit: In ipsa *Catholica* Ecclesia magnopere curandum est, ut id teneamus, quod **UBIQUE**, quod **SEMPER**, quod ab **OMNIBUS** creditum. Hoc est enim verè proprièque *Catholicum*, quod ipsa vis nominis ratiòque declarat, quæ omnia verè universaliter comprehendit.

Communi  
Sanctorum.

XXXIV. Unâ cum Ecclesia Sancta, *Catholica* Symbolum etiam credere nos docet **SANCTORUM COMMUNIONEM**. quæ verba in priscis Symbolis non occurrunt, adeoque declarationis gratiâ addita videntur. Ecclesia certè *Sanctorum communi*o est, quia societas, unio, cœtus omnium fidelium, qui commune quid inter se habent. Res illa *communis* Christus est, Ecclesiæ caput unicum, nec non dona, quæ in Christo capite per Spiritum S. in singula ejus membra defluunt, adeoque unguentum illud optimum super caput, descendens super barbam Aaron, quod descendit super fimbriam vestimentorum ejus, Psal. CXXXIII. 2. Hoc illud est, quod *communionem Sanctorum* distinctiùs Symbolum nuncupavit. Bipertita igitur illa est, nempe cum Christo capite, & inter se. In illa Christus quidem Ecclesiæ præstantissima quæque confert, se ipsum videlicet, utpote qui totus fors & portio nostra evadit, qui caput nostrum, Sponsus, maritus, vitis nostra est, unde cum ipso *σύνφυλος* *complantati* Rom. VI. 5. dicimur: adoptionem justitiæ suæ, Regnum Cœlorum, & horum omnium sigillum ac arrhabonem Spiritum S. quæ

Cum Chri-  
sto capite.



quæ singula etiam Ecclesiæ verbi ac Sacramentorum, Cœnæ inprimis Dominicæ, quæ iccirco etiam *κοινωνία communio* corporis, & sanguinis Christi insignitur, usu applicat. Ecclesia verò bonam copiam ejurans, Christo ex suppellectile propria nil nisi peccata & pœnas sibi debitas communicat, quæ à DEO Patre ipsi impositæ sunt. In hac verò, membrorum videlicet inter se *communione*, vel *viventes Sancti cum viventibus, vel viventes cum mortuis communicant* Viventium cum viventibus *communio* est partim in mutuo & æquali *affectu*, & *φιλαδελφία ἀνυποκρίτως*, quam unus idemque in omnibus Spiritus format, efficit & fovet in iis, qui animas suas in obsequio veritatis sanctificârunt, 1. Pet. I. 21. partim in *donis* Spiritus, puta fide, spe, charitate, timore DEI, aliisque, quæ ejusdem corporis membra in mutuum usum commodumque, per exempla Matth. V. 14. 1. Cor. XI. 1. exhortationes Hebr. XIII. 13. *παροξυσμὸς* seu *instigationes* Heb. X. 24. consolationes, Rom. XII. 8. orationes & preces, 1. Tim. II. 1. 2. sic convertunt, ut singuli fideles jus habeant ad omnia charismata, quæ DEUS corpori suo ad ædificationem communem dispensat, utpote quæ non uni, sed toti fraternitati & corpori dari censenda sunt: partim denique in *donis* etiam corporalibus, quæ ad usum & honorem totius corporis impertienda sunt, ita ut *ἐυμεταίδοτοι, κοινωνικοὶ libenter impertientes, communicabiles*, 1. Tim. VI. 18. ex iis beneficiamus omnibus, inprimis autem iis, qui sunt *οἰκεῖοι τῆς πίστεως domestici fidei* Gal. VI. 10. Quæ *communio* in utroque statu durat, neque ita interrumpitur adversis, ut quæquam pauperum, vilium, afflictorum & persecutiones patientium propter nomen Domini pudeat: quin potius quisque cum gaudentibus gaudeat, cum flentibus fleat, Rom. XII. 15. & de donis aliorum Deo gratias agat, 2. Cor. I. 11. Denique & *viventes cum mortuis* eatenus *communione* illam excolunt, quòd mortui non ita *viventium* curam abjiciunt, quin Ecclesiæ militantis in genere liberationem DEO commendent jugiter, Apoc. VI. 10. viviverò quantum ad cordis *προθυμίαν* cum cœlitibus suum *πνεῦμα* in Cælis habent, cum iis in Cœlo conversantur, conjunctionem cum illis per beatam *ἀνάλυσιν* flagranter expetunt, eorum fidem & laudant & imitari pro virili contendunt. Hæc illa decantata est *communio* Sanctorum, qua nulla dari inter homines potest major, nulla arctior & sanctior *conjunctio* & *contesseratio*, utpote quam unum corpus, unus Spiritus, una eademque spes cœlestis vocationis, unus

Et membrorum inter se.

Ejus vincula potentissima.

Domi-

Dominus, una fides, unum baptisma, unus DEUS & Pater omnium, qui est super omnes, per omnes, & in omnibus, totidem videlicet σύνδεσμοι εἰρήνης, vincula charitatis & pacis potentissima, adamantino indissolubilique nexu adstringunt.

Ecclesia  
bona,

XXXV. Tzionem suam sic olim David magnificè laudavit Psalm. LXXXVII. 2. 3. *Diligit Jehova portas Tzionis magis, quam omnia habitacula Jacobi.* נבדוה מדבר בך (δεδοξασμένα) *Magnifica, gloriosa dicuntur de Te, Civitas DEI. Verè δεδοξασμένα magnifica, gloriosa sunt, quæ de Ecclesia, spirituali Tziona, hætenus profiteatur Symbolum, quòd sit Sancta, Catholica, communio Sanctorum.* Non minus tamèn magnifica sunt, quæ sequuntur, Ecclesiæ ἀλεονεκτήματα & beneficia, remissio peccatorum, resurrectio carnis & vita æterna, quorum ἐπιχορήγησις *suppeditatio* fit per eundem Spiritum DEI. De primo igitur sic articulo *Decimo* profiteatur Symbolum: Credo REMISSIONEM PECCATORUM. Quibus verbis primò peccatorum magnitudo & confessio ingenua comprehenditur. Nam & in Adamo omnes peccavimus Rom. V. 12. & naturâ filii iræ sumus, mortui in peccatis. Ephes. II. 1. 3. & omne figmentum cogitationum nostrarum tantùm malum est omni die, inde à pueritia, Genes. VI. 5. VIII. 21. & bibimus iniquitatem sicut aquam Job. XV. 16. Licet verò peccati stipendium sit mors & maledictio, in Symbolo tamen confessor fiduciam remissionis peccatorum, adeoque non imputationis illorum, absolutionis ab eorum reatu & pœna profiteatur. Se peccatorem esse, membrum licet Ecclesiæ Sanctæ & Catholicæ, in se peccatum habitare, ejus reliquias & æruginem in carne sua tanquam aculeum relinqui in hac vita, non negat. Hæret enim etiam Sanctissimorum carni illa fatalis peccatorum arundo, & multa hic vigilia opus, multis jejuniis, quibus carni fomenta mali detrahamus, multis precibus, quibus Dei auxilium imploremus, ne à malo vincamur. Sed peccata eadem sibi remissa esse, non imputari amplius ad pœnam, non recordari illorum amplius Deum, quin potius ea delere tanquam nubem ac chirographum debitoris, illud verò est, quod Confessor heic se credere fidenter profiteatur. Unde verò peccatorum illam remissionem confessor sperat? Haud certè ab homine ullo. Licet enim etiam homines peccata remittere dicantur, id tamen non fit potestate judiciaria, sed ministerio & declaratione sola sententiæ judicis jam ante latæ, non à Dominis, iudicibus, sed à conservis & fratribus. Dei igitur solius est peccata remittere,

Articulus  
X. de remissione  
peccatorum,

tere, ex impuro purum reddere, Job. XIV. 4. Esaj XLIII. 25. Marc. II. 7. Ipse enim solus est *ὁ μὲν ἑαυτοῦ*, ipsi soli peccatur, Psal. LI. 6. Solus igitur is jus habet peccata remittendi, & peccatori *ἀντιζητίας* dicendi: *Confide fili, remissa tibi sunt peccata*, Matth. IX. 2. Quo verò Deus peccata remittit merito? Nullo certè nostro. Confessor enim in Symbolo dicit: *Credo remissionem peccatorum, non, emo, muneribus impetro, meritis & operibus meis assequor remissionem peccatorum*. Scitè S. Augustinus in Psal. XLIII. monet, ipsum remittendi vocabulum præ se ferre gratiam, qua, inquit, *gratia non est ullo modo, sed non est gratuita omni modo*. Ibidem præclare: *Non venit Deus ad inspectionem meritorum, sed ad remissionem peccatorum. Non fecisti, & factus es, quid Deo dedisti? Malus es, & liberatus es, quid Deo dedisti? Quid non ab eo gratis accepisti? Merito & gratia nominatur, quia gratis datur*. Nos igitur si respicimus, remissio planè gratuita est, Rom. III. 24 25. IV. 2. &c. Ephes. I. 7. Quia tamen Divinæ justitiæ intererat, peccatum puniri, adeoque remitti non absolutè, sed sub conditione pœnæ, meriti, satisfactionis & justitiæ, vel peccatoris vel Sponsoris, iccirco *קָרַב אֵל קָרַב אֲבֹלְוֵנָה* (peccatorem per remissionem gratuitam) *non absoluit* (Sponsorem Christum, citra satisfactionem & meritum) Exod. XXXIV. 7. Itaque sic nos justificat, sic nobis peccata remittit *δωρεάν, τῆ ἀπὸ χειρὸς χάρις*, gratis, ejus gratia, ut tamen id faciat *διὰ τῆς ἀπολυτρώσεως τῆς ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ* per redemptionem, qua est in Christo Jesu, quem *ἰλυσηριον* propitiatorium (non typicum, quale olim in arca erat, sed reale & verum) Deus prestituit per fidem in sanguine ejus, ad demonstrationem justitiæ ejus, Rom. III. 24. 25. Igitur in Christo habemus redemptionem per sanguinem ejus, remissionem peccatorum secundum divitias gratiæ ejus, Ephes. I. 7. Ejus sanguis purgat ab omni peccato, I. Joh. I. 7. Is unica oblatione illos, qui sanctificantur, in perpetuum consummavit, Hebr. X. 14. Et cœlatis cœlaturis illius lapidis, quem Deus proposuit, in quem septem oculi, fideles omnes respiciunt, *Deus Exercituum* *אֱלֹהֵי צְבָאוֹת אֱבָרַךְ אֶת מִשְׁכַּן אֱבָרַךְ אֶת מִשְׁכַּן אֱבָרַךְ אֶת מִשְׁכַּן אֱבָרַךְ אֶת מִשְׁכַּן אֱבָרַךְ* abstulit peccatum terra uno die Zachar. III. 9. Neque verò satisfactionem illam Christi in hoc articulo distinctè exprimi necesse fuit, tum quia in articulis de Christo plus satis illa expressa est: tum quia Symbolum satis habuit rem ipsam profiteri, causas verò rei ex Dei verbo eruendas reliquit. Neque enim eatenus simpliciter illa Rufini *Expos. Symb.* admittimus: *Quis causas, aut rationem requirat, ubi indulgentia principalis est?* Nam remissionis certè peccatorum causas Scri-

Remissio-  
nis causa.

F ptura

Conjuncta  
est cum im-  
putatione  
justitiæ.

ptura revelat, quæ electionis nullas revelat. Non etiam remissionis peccatorum mentio excludit imputationem justitiæ. Ultro enim intelligitur, tum satisfactionem, remissionis peccatorum causam, requirere δικαίωμα, quod ipsam δικαιοσύνην seu justitiā importat: tum remissionem fieri per redemptionem, quæ emptionem in peculium & hæreditatem includit: tum ut extra Christum remissio non est, ita in Christo non posse non justitiā reperiri. Unde etiam Paulus secundum Davidem ex beatitudine illa, quæ de eo, cui peccatum non imputatur, prædicatur, justificationem manifestè concludit Rom. IV. 5. 6.

Articulus  
XI. de resur-  
rectione  
carnis.

XXXVI. Sicut S. Paulus Rom. VIII. 29. justificationem, ita Symbolum remissioni peccatorum resurrectionem carnis, & vitam æternam succenturiat. Illam utpote initium hujus, sic articulo Undecimo confitemur: Credo CARNIS RESURRECTIONEM. Dixit idem S. Paulus Rom. VIII. 10. Si Christus in vobis est, corpus quidem mortuum est propter peccatum, spiritus autem vita est propter justitiā.

Anima im-  
mortalis est.

Moriens igitur homine, non moritur spiritus, anima ejus, sed propter Christum inhabitantem est ζωὴν vitam, & vita perfecta consummataque fruitur in pace: idque propter justitiā, quæ in Christo nobis donata animam à morte peccati vindicatam & vivificatam conservat. Corpus verò νεκρὸν δι' ἀμαρτίαν mortuum est propter peccatum, exuendum videlicet, quò ita à peccato & certamine cum illo in solidum liberemur. Non igitur anima in fine mundi vivificationem, utpote quæ post vivificationem ex morte peccati immortalis est, nec privari vita potest, nisi privetur essentia per annihilationem à Deo, qui tamen eam tanquam imaginem suam annihilare non vult, sed glorificare (unde mors nostra ἀνά- λυσις sive discessus, Phil. I. 23. 2. Tim. IV. 6. ἀφίξις perventio ad metam tanquam currentis Act. XX. 29. ἐπέδυσις superindusio domus cælestis 2. Cor. V. 2. 3. ἐνδημία adventus in patria apud Dominum, ib. v. 6. 8. vocatur) sed corporis seu carnis, utpote quæ mori, occidi potest, quia pulveres hi, ex quibus corpus nostrum conflatum est, & possunt esse membra & organa alicui animæ subiecta ad usum, & dissolvi etiam ac spargi possunt; quòdque sicut cadere, ita spiritu vivificante etiam resurgere potest, resurrectionem nos credere, eòque etiam animæ in Cælo consummationem præteritam profiteri, testamur. Nempe non anima tantum nostra, sed etiam corpus Christi est, 1. Cor. VI. 20. & templum Spiritus S. Illud igitur æquè à cor-

Resurrectio-  
nis necessi-  
tas.

à corruptione extrema vindicari debet. Sicut etiam Christus, ca-  
 put corporis æquè ac animæ, post justitiam consummatam, quæ per  
 fidem nostra est, resurrexit à mortuis: ita & nos resurgemus. Qua-  
 les primitiæ, talis & massa; ipse primitiæ mortuorum, & nos in ipso  
 vivificabimur, 1. Cor. XV. 21. 22. 23. ut conformemur ipsi, tanquam  
 primogenito inter multos fratres, Rom. VIII. 29. gestaturi proin  
 etiam id ipsum, propter quod ejus fratres sumus. Resurrectionem Et veritas.  
 hanc carnis tum testimonia S. Scripturæ clarissima, Deut. XXXII. 39.  
 Job. XIX. 26. 27. Psal. XVII. 15. XLIX. 16. Esaj. XXVI. 19. Ezech.  
 XXXVII. 11. 14. Joh. V. 21. 28. 29. VI. 39 40. &c. 1. Cor. XV. toto:  
 tum rationes gravissimæ, à primæva promissione Genes. III. 15. fœ-  
 dere Dei Genes. XVII. 6. Matth. XXII. 32. ab opere redemptionis  
 Christi 1. Cor. VI. 20. à justitia Dei 2. Thess. I. 6. 7. ab inhabitatione  
 Spiritus, 1. Cor. VI. 15. 16. à Sacramentis denique Coloss. II. 12. Rom.  
 VI. 4. 5. arcessitæ, potentissimè evincunt. Sicut autem Deus corpus  
 vulnerat, occidit, in pulverem redigit: ita idem Spiritus sui poten-  
 tia illud vivificat & resuscitat. *Redigis hominem אֲדָרָתִי ad contri-  
 tionem usque, & dicis: Revertimini filii hominum. Quoniam mille anni  
 in tuis oculis, sicut dies hosterna, cum transierit, & custodia in nocte. Inun-  
 das eos; ut somnus sunt: manè sicut herba vires accipit,* Psal. XC. 3. 5.  
 Potuit Christus excitare mortuum τεταρταίον Lazarum Joh. XI. 17.  
 Quidnā possit eadem vi excitare ante millenos annos mortuos, cum  
 Davide in loco illo teste, mille anni apud ipsum sint sicut unus dies.  
 Credimus porro resurrectionem corporis, non cujusvis tamen, sed Resurgēt  
caro, quæ  
cecidit.  
 corporis illius, quod caro est. *Alia carnis, alia corporis definitio est.  
 Omnis caro est corpus: non omne corpus est caro. Caro est propriè, quæ  
 sanguine, venis, ossibus, nervisque constringitur. Corpus quanquam &  
 caro dicatur; interdum tamen vel æthereum, vel aereum vocatur &c.*  
 Ita S. Hieronymus Johannem Hierosolymitanum olim urgebat, ut  
 non corporis duntaxat, sed etiam carnis resurrectionem confitea-  
 tur. Et carnis resurrectionem credimus illius, quæ cecidit. Unde  
 olim in aliquot Orientis Ecclesiis hunc Symboli articulum pronun-  
 tiatum esse his verbis: *Credo carnis hujus resurrectionem,* Rufinus  
 in Expositione Symboli testatur. Quem in sensum ita Augustinus  
*de fide & Symbolo cap. 10.* scribit: *Hæc visibilis, quæ caro propriè dici-  
 tur, sine dubitatione credenda est resurgere. Hanc videtur Paulus A-  
 postolus ceu digito suo ostendere, cum ait: Opportet corruptibile Hoc  
 induere incorruptibilitatem. Cum enim dicit Hoc, in eum quasi digi-  
 tum.*

tum intendit. Et clamant id ipsum diserta testimonia Joh. XIX. 26. 27. I. Cor. XV. 53. &c. 2. Cor. IV. 10. 11. V. 10. Phil. III. 21. Clamat imprimis DEI iustitia, quæ non patitur, noxam alienum caput, præmium vel pœnam alienam carnem sequi. Eos verò qui restitant, & corpora à ferarum dentibus dilacerata, ignium flammis absumpta, ab hominibus ἀνθρώπων consumpta, trlicantur, relegamus ad DEI tum sapientiam, tum omnipotentiam, quam etiam Apostolus citavit, dicens: *Christus transfigurabit corpus nostrum humile, ut conforme reddat corpori suo glorioso, καὶ τὴν ἐνέργειαν τῆς δυνάμεως αὐτῶν καὶ ὑποτάξαι αὐτῷ τὰ πάντα secundum efficaciam, quâ potest etiam sibi subicere omnia*, Phil. III. 21. Potuit Deus vocare ea, quæ non erant, perinde ac si essent, è tenebris lucem eruere. Quidnî potentiâ suâ ex pulvere existente resuscitabit eum, qui ex pulvere conflatus, in pulverem reversus est? Egregiè Tertullianus: *Non sola anima seponitur. Habet & caro suos sinus, in aquis, in ignibus, in alitibus, in bestiis. Cùm in hæc dissolvi videtur, velut in vasa transfunditur. Si etiam ipsa vasa defecerint, cùm de illis quoque effluerit, in suam materiam, terram quasi per ambages resorbetur, ut rursus ex illa representetur.* Sic autem corpus nostrum, quod heic ψυχικὸν animale est, quòdque habemus ab ipso Parente nostro Adamo, quod ab anima, quæ in sanguine est, vegetatur ac vivit, in altera vita erit πνευματικὸν spirituale, quia per Spiritum Christi vivificatum conservabitur sine cibo & potu, quo sanguis instauratur, & ex quo carnes fluitantes reparantur & crescunt, ut tamen verum corpus, sanguine, carne & ossibus constans, clarificatum tamen, & ab omni corruptibilitate, carnalibus affectionibus & cupiditatibus purificatum, defœcatumque futurum sit.

Articulus  
XII. de vita  
æterna.

XXXVII. Articulus *Duodecimus* suavissimè sic Symbolum claudit: ET VITAM ÆTERNAM, subintellige, *Credo*. Sicut præcedens articulus de resurrectione potissimùm læta iustorum (non negata, sed subintellecta etiam ex DEI verbo iniustorum resurrectione) egit: ita non de pœnis iniustorum, quæ tum articulo septimo jam indigitatæ sunt, tum ultro ex DEI verbo intelliguntur, sed de præmiis piorum articulus hic loquitur. Vitæ æternæ gustum & promulsi dem quandam in hac etiam vita præcipimus, primitias habentes Spiritus Rom. VIII. 24. & spe salvati, ib. v. 24. Cùm enim vita æterna in eo consistat, quòd cognituri simus Patrem, & quem is misit Jesum Christum, Joh. XVII. 4. hoc est, eum cogni-  
tum

Ejus in hac  
vita gustus.

tum amaturi, faciem ejus intuituri: cognoscimus sanè etiam in hac vita, sed *ἐκ μέρους ex parte*, intuentes DEUM in speculo, non à facie ad faciem 1. Cor. XIII. 9. 12. Perfectam verò & meram vitam impedit oblectata Spiritui caro & concupiscentia, quæ subigit amare etiam quandoque id, quod non est verum bonum, quod satiare non potest, quod præterit, quod pudorem & pœnitentiam comitem habet, quod ferre etiam diu sine fastidio non possumus, adeò ut juxta illud Tertulliani etiam *noceat oblectabile longum*, & propterea fluvium vanitatis & rerum prætereuntium quæramus, ut nova semper cupiditate caro titilletur. Hæc carnis in hoc mundo residuæ non tam vita, quàm cum vita Spiritus conjuncta mors est, & veluti vermiculatio quædam in cadaveribus. Credimus igitur post fluxam & caducam hanc, deposito corpore peccati, aliam perfectam consummatamque *cum Christo in DEO occultatam Col. III. 3. vitam, eamque æternam*, in qua uti S. Augustinus *de Civ. DEI lib. XXII. 29. loquitur, videbimus DEUM de facie ad faciem, laudabimus Deum in Secula Seculorum, fruemur DEO ad satietatem omni carentem fastidio*. Scriptura equidem disertis & tropicis verbis, allusionibus & ænigmatibus vitam illam, & gaudia tum corporis, tum animæ, adeòque juncti utriusque, æterna adumbrat passim, asseritque, quòd sit futura absque omni miseria, luctu, tristitia, languore, imbecillitate: quòdque DEUM à facie ad faciem in justitia visuri, salutare ejus agniti, imagine ejus satiandi, communionem ejus & bonorum ejus omnium sortituri, eumque celebraturi simus. *Modica tamen, ita pientissimus Bullingerus noster Decadis 1. Serm. 9. loquitur, sunt, revera illa omnia, donec illa dies venerit, quæ ipsum DEUM conditorem omnium in sua gloria, Christum Servatorem nostrum in sua Majestate, omnes denique beatos Spiritus, Angelos, Patriarchas, Prophetas, Apostolos, martyres, Patres nostros, & omnem gentem nostram, & omnem exercitum cœlestem, omnemque illam gloriam Divinam & cœlestem ineffabili cum gaudio viderimus*. Certè etiam Apostolus 1. Cor. II. 9. ex Esaj. LXIV. 3. ostendit, Sapientiam illam in mysterio, quæ tum in hac vita in Evangelio revelatur, tum in Cœlo repræsentatur, adeòque Evangelii illa *ὄψεσθε τῆματα* tum *ἐπιγίωσθε*, quæ à Christo & Apostolis prædicata, in terra adhuc exhibentur, tum *ἐκκεκρυμμένα cœlestia* Joh. III. 12. quæ in Cœlo recondita sunt, fuisse & esse supra cognitionem & cogitationem nostram, adeòque, quatenus manifestanda adhuc sunt, *ἀνέφικτα* & incomprehensibilia 1. Joh. III.

Æternæ vitæ descriptio.

1,2. DEO in operibus suis semper ad perfectius & gloriosius procedente, secundum illam potentiam, qua potest ὑπὲρ πάντα ποιῆσαι ὑπὲρ ἐκ περισσοῦ ὧν αὐτὰ μεθεῖν ἢ νοῦμεν, longè supra omne id, quod petimus aut cogitamus, facere. Ephes. III. 20.

Amen.

XXXVIII. Atque fidem hanc universam Confessor Symboli obsignat particula e *Amen*, quæ idem significat, quod πεπιστευμένως fideliter, firmiter, & γένοιτο fiat. Num. V. 23. Jerem. XXVIII. 6. Hebræi docent, Amen non aliud esse, quàm ἰσχυρὴν μαρτυρίαν πῶς corroboracionem sermonis & confirmationem ejus. Habet igitur etiam hic particula illa sensum tum καταφατικόν, affirmandi scilicet sinceritatem & fidelitatem confessionis, in conscientia & fide non ficta editæ, ut ita sit signaculum fidei, & nota fiducia: tum ἐυκτικόν optandi, ut τίμια illa ἐπαγγελμάτα, pretiosæ illæ, maximæque promissiones Ecclesiæ in Christo factæ, ipsi quoque Confessori feliciter magis magisque eveniant, æternæque eum in Cælo fruitione beent.

Sacramentorum mentio cur nulla in Symbolo?

XXXIX. Sacramenta religionis Christianæ pars sunt maximè memorabilis, ac proin in Scriptura etiam accuratè eorum doctrina narratur & explicatur. Neque tamen diserta eorum mentio in Symbolo facta est. Cujus rei causæ haud dubiè non contemnendæ etiam sunt. Ea nempe, quæ in Symbolo continentur, mente credentis, & fidem suam confessione externa testificantis percipiuntur tantummodo, & in sola memoria servantur. Sacramenta verò in administratione & usu quotidiano rerum corporearum, quæ oculos feriunt, consistunt. Tum doctrina Christiana ad salutem absolutè necessaria in Scriptura S. variè sparsa est. Eam proin ex variis locis in unum conduci, & in synopsis brevem redigi, ut facile addisceretur, & Christiani omnes eam in promptu haberent, consultum fuit. At Sacramentorum institutio, natura & usus quantum necesse fuit, quotiescunque administrabantur, populo ex liturgiis & allocutionibus publicis ita explicabantur, ut à nemine ignorari possent. Denique Sacramenta non eandem necessitatem habere, quam fides habet, in confesso est. Quamvis igitur ceremoniæ illæ in magna dignatione sint, & esse debeant in Ecclesia Christiana, aliquod tamen eatenus inter eos & dogmata Symbolo comprehensa discrimen constituendum esse, Author Symboli duxit.

Epilogus.

XL. De usu porro Symboli (cùm cætera fere definitionis Symboli membra utcunque jam adumbrata & delineata dederimus) proximè, σὺν Θεῷ καὶ πόνῳ, dicturi, nunc quidem DEUM precamur, ut



ut nobis & omnibus piis fidei salvificæ Confessoribus gratiam largiatur, quò fide, quam suscepimus, custodita, & cursu consummato, expectemus repositam coronam justitiæ, & inter eos, qui ad æternam vitam resurgunt, reperiamur, per Christum Dominum nostrum, per quem DEO Patri omnipotenti cum Spiritu S. gloria & imperium sit in Secula Seculorum. Amen.

## SYMBOLA VETERA, Alemanicum, Francicum & Saxonicum.

*Addita implendi vacui spatii gratia.*

Symbolum vetus Alemannicum, *Gwerff* dictum, ex Psalterio Notkeri, apud Vadianum *Lib. II. de Monaster. Germ.*

*Tomo III. Rerum Alemannicarum, pag. 34.*

**I**ch gelaubo an Got almachtigen Vater / Steffen Himeles vnt  
de Erdo. Vnde an sinen Sun den gewichten haltare einigen  
vnsere Herren: der sone de mo heiligen Geiste infangen ward:  
sone Maria dero Magede geborn ward: kenothafft ward pi Pontio  
Pilato: vnde bi imo am Crucem gestaher i starb: vnde begraben ward:  
ze Helle fuor: an dem dritten Tage sone Tode irstuont: ze Himele  
fuor / dar sizze Gotis zesuun des almachtigen Vater: dannan chunfts  
tiger Zeite (hic deest articuli tertii initium) illene die er da allelichun  
gesamenunga: gelaubo zeha benne dero heiligen gemeinsame: Ablass des  
ro Sunden: gelaubo des Fleisses vrsendede: gelaubo ewigen lib / Amon.  
Das tuon ib kevvaro.

Symbolum plenius Alemannicæ veteris Ecclesiæ, ex  
Goldasti *Tomo II. Rer. Alem. pag. 134. 135.*

**I**ch wider saig diem Ziuvel vnt allen sinen Werchen / vnt allen  
sinen Gezierdin. Ich gelaub an ain Got Vater almachtigen ain  
Schepper Hiemelo vnt Erde / vnt aller Geschepfte. Ich geloub an  
den hailigen Gaist. Ich geloub das die drie benemde ein gewaire Got ist /  
der te was an angenge / vnt immatar ist / an Ende. Ich geloub das  
derselbe Gotis Sun geandet wart von dem hailigen Engil Sant Gas  
brihel. Ich geloub das er emphanen wart von dem hailigen Gaist / vnt  
er geborn wart von Sant Mariun der rainum Magede. Ich geloub  
das er an dirre Werlete was als ain ander Mensch / wan das er nie ges  
fundet. Ich geloub das er an dem drisgesten Jahr getofet wart in dem  
Jordan

Jordan von Sant Johans. Ich geloub daß er ferratum wart von sinen  
 Junger Judas. Ich geloub daß er gefangun wart von den Juden/ vnt  
 gebundun wart/vnt sin gespotet wart/vnt angespuwit wart. Ich geloub  
 daß er gemartiret wart/vnt an das Cruzze erhangene wart / vnt daran  
 starb an der Meenschhait vnt nint an der Gotthait. Ich geloub daß er ab  
 dem Cruzze genomen wart/vnt zer Erde begraben wart/und darinne lag  
 dri Tag vnt dri Nacht. Ich geloub daß er an dem dritten Tagerstuond/  
 geware Got vnt geware Mensch. Ich geloub daß er entschain nach si-  
 ner Brstendi sinen Jungeren vnt sinen guoten Friundin. Ich geloub  
 daß er an dem vierhgesten Tag nach seiner Brstendi ze Himelo fuer / ze  
 der Angesicht seiner Junger/ vnt aller Mannei / die sin wirding waren.  
 Ich geloub daß er da sizzt zu der Jesum seines Watter im ebum gewal-  
 tig vnt ebum ewig. Ich geloub in dannan künfftig en dem jungesten Tag  
 ertailen viber lebend vnt viber tot nach ir werchen. Ich geloub an die  
 Kristanhait gotlich vnt allich. Ich geloub gemansami der Hailigen. Ich  
 geloub Ablass miner Sünte nach gewarer Kune. Ich geloub Brstend  
 mines Libes. Ich geloub nach disem Lib dem ewigen Lib. Ich geloub daß  
 mir gelonet sol werden nach minen Werchen / den Lon den fürcht ich  
 ser/wan ich dihe gesunder han mit Gedanchen. ic.

Symbolum Francicum vetus, ex Lehmanni


*Chronica Spir. pag. 197.*

**B**laubu in Rot Fader almachticum/ Kiscass Himiles enti Erdu.  
 Enti in Jesum Christ Sun sinan ainacum/vnseran Truhin/der  
 inphangen ist fon wihemu feste / kiporan fona Marian Macabi  
 ewikeru/kimarrot in kiwalti Pilates/meruet Pislacau/tot/enti pierapan/  
 stehie in wizzi/ in drittin Tafe erstoonte fona Totten/ stehie in Himil/ si-  
 zt za jesum Cores Fateres almachtin/ thana chünfftig ist sonen gluethe  
 en ti Tote. Kilaubu in wihan Kest/in wiha thirighun Catholica/ wihero  
 kemenitha/vrlas Sunti/tero Gleisches vrstodahi/int lup ewi/ Amen.


Symbolum Saxonicum vetus, quod Vir Doctissimus,  
 Marq. Freherus notis illustravit.

**T**e getyfe on God Fader almichtigen/ Scyppend Heofenan an Eorþan. Te getyfe on Halend  
 Crist his ane ennedan Sunu / urne Drychten. Se was geacnod of þam halgan Gaste/  
 and acenned of Marian þam Madene. Gethrowod vnder þam Pontiscan Pilate/on Ros-  
 de ahangen. He was dead/and bebyrged. And he nyher astah to helle/ and he aras of deathe  
 on þem thridan dage. And he astah up to heofenum/ and sit nu at swithran Godes almich-  
 tiges fader/thanan he wile comanto damenne ægther getham cucum/getham geade. And ic  
 getyfe on þan halgan Gaste/on þa halgan getathinge/and halgana mannisse/ and synna fir-  
 gifenyffe/ and Blases ariff/and that ea life.

F I N I S.









96 2178

Sh

ULB Halle 3  
007 398 387




W12

MC









B.I.G.

Farbkarte #13



5

TATIO  
*Theologica*  
 LO APO-  
 LICO.  
*am*  
 spicius  
 TORIS FIDEI UNICI,  
*mini subji*  
 CUS HEIDEG-  
 ol.D. & Professor,  
*dente*  
 BERO. V. D. M.  
*dente*  
 LIBERGERO,  
 Studiofo.  
*ji, H. L. Q. S.*  
 R I.  
 s Gessneri.  
 XXIX.

